qui ludis Olympiæ vicerant, commentarium conscripsit.
A *Idem ibid.*

A Chemone Argivo in lucta stratum Taurosthenem Æginetam memorant. Ipsum tamen Taurosthenem insequenti Olympiade omnes dejecisse, qui in luctæ certamen descenderant. Eodem, quo coronatus est, die spectrum Taurostheni persimile, Æginæ victoriam ejus nunciasse dicitur. *Idem.*

Leonticus palæstrita Siciliensis, è Messana, quæ ad fretum est, coronam ab Amphyctionibus Elæis accepit: qui in lucta haud alio more, quàm Sostratus in pancratio, adversarios percellebat. Neque enim colluctantes sternebat, sed victoriam summis digitis collidendis extorquebat. Statuam ei in Alti fecit Pythagoras. Rheginus, fingendi peritia solers haud minus, quàm quivis alius. *Idem.*

Cratinus ex Ægira Achaici conventus civitate, cùm sui temporis omnium esset formosissimus, luctandi etiam arte longo intervallo omnes vicit. Is puceris in palæstra dejectis, obtinuit ab Elæis, ut ludicræ exercitationis magister proximo sibi loco statueretur. Statuam ejus in Alti fecit Sicyonius Cantharus Alexidò genitus, artem ab Eutichide,
B edoctus. *Idem.*

Chilon Achæus Patrensis Olympicis duabus de lucta virorum, Delphica una, quatuor Isthmicis, tribus Nemiacis nobilitatus est coronis. Sepulchrum ei publica impensa Achiæ erexere. Et prælians quidem mortem oppetiit. Testata res his versibus:

Solùm lucta virum bis Olympia, Pythiaque ornat,
Ter Nemeæ, atque Isthmus me quater undisonus
Chilonem. Patria est Patra: virtutis Achivi,
Cæsum acie, memores, hoc posuere loco.

Ex ætate Lysippi, qui statuam ejus fecit, coniicitur, vel ad Chæroneam in acie stetisse cum Achæis omnibus, vel solùm præ cunctis Achæis prælio ei interfuisse, quod ad Lamiam in Thessalia cum Antipatri Macedonum regis exercitu commissum est. *Idem ibid.*

Topias luctator, frater Dionis Alexandrini. *Erasm. in Adagiis, ex Suida.*

Pyræchmen luctator Ætolus, Degmenum Epeum singulari certamen vicit. *Herod. lib. 6.*

C Coricus luctator, cùm neminem reperiret priorem, aut parem, cujus viribus succumberet, etiam adagio fecit locum, Luctari cum Corico: de his, qui aliquid suprà vires audacius moliuntur.

Sostatus Sicyonius, cognomento Achrochersites, arreptis extremis adversarii manibus, eas frangebat: nec prius dimittebat, quàm sensisset eum deficere. Fuit & Leontiscus Messenius Siculus, qui eodem modo, quo Sostratus, certavit. Nam quòd ille in pancratio, hoc Leontiscus in lucta faciebat. Tradunt eum institutum fuisse à Clearcho, discipulo Eurichi Corinthii, & Chilonis Paterensis. *Suidas.*

Clitomachum Palæstritam non tam commendant vires, quàm pudicitia: quod etiam coeuntes canes, sine horrore non posset aspicere, aut in conviviis aliquid impudicum permittere. *Ælian. apud Volat.*

Pindarus Æginetam Alcimidam juvenem, sexto hymno Nemeo evehit à luctæ victoria, à majoribus, avo scilicet suo Praxidamante, qui novies victor coronatus fuit, semel in Olympiis, quinquies in Isthmiis, & ter in Nemeis.

Maximinus Thrax, qui Alexandro Mammæ filio successit,
D & cùm Maximino filio posteà imperavit, cùm adhuc luctandi in adolescentia ludos spectaret natalitio Getæ die editos, à Severo Imperatore ludendi potestatem petit. Cui, quòd barbarus erat, cùm ludendi cum equite negata esset facultas, permissum fuit, ut cum gregariis luctaretur. Ex horum numero sexdecim ad terram prostratis, partoque præmio, quod victori paratum erat: cùm Severus etiam graviori in re virtutem ejus experiri vellet, adhibitum inter eos, qui pedibus officium equo insidenti præstabant, longo cursu, magnisque circuitionibus equum prius, quàm Maximinum defatigavit. Ad eumque non sine admiratione conversus, petiit, An adhuc luctari vellet? Qui nulla lassitudine ostensa, cùm adhuc luctandi conditionem accepisset, septem equites validos viros prostravit. Conciliatus ob idipsum Imp. cùm jam ordines duceret, exercebat lucta milites suos, multos ad terram prosternens. Itaque cunctis invidentibus, tribunus quidam vasti corporis notæque virtutis, atque ob hoc ferocior, dixit: Quid magni facies, si tribunus tuos milites vincit. Tum Maximinus, Visne congrediamur: Cùm prodisset, palma pectori impacta supinum rejecit, continuòque dixit: Date alium, sed tribunum. *Capitolinus.* E

Maximianus Imp. crudelissimus, cùm Thessalonicæ, capto Demetrio præfecto urbis propter Christum equestres ludos exhibere, atque in iis luctatorem nobilem, & invictum Lyæum produxisset, nec quisquam cum illo congredi auderet: Nestor Thessalonicensis juvenis Christianus Demetrium accedit, & ab eo petit, ut permittat sibi cum pugile congredi, sed oratione sua robur, virtesque sibi augeat. Tum Demetrius: Vinces Lyæum, simulque pro Christo martyrium sustinebis. Ille certamen progressus, Lyæum in mucrones erectos prostratum occidit, & mox ipse jussu Imper. quòd clarissimum pugilem occidisset, cum Demetrio interficitur. *Nicephorus lib. 7. cap. 15.*

Mulieribus.

Spartanorum Virgines nondum adultæ palæstra exercebantur nudæ. Quod studium Plato nequaquam improbavit: censuitque, ut non modò puellæ, sed & anus luctarentur cum viris, ut patientes laborum facilè res arduas subirent. Quorum studio in posterùm adeò affecti sunt, ut gymnasia, & palæstras occupasse animos eorum tradant, ut pro fortibus militibus se bonos palæstritas, & athletas dici potiùs exoptarint. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.* F

In Chio insula in gymnasia, cursusque accedere, suavissimum est, juvenesque luctantes cum puellis intueri. *Athenæus lib. 13. cap. 7.*

PUGILES. PUGILUM CERTAMINA.

Pugil, πυκτής, qui pugno plaga impingere potest, & solo percussu adversarium prosternere. Hinc πληκτικός, percussor, ab usu percutiendi, dicitur Arist. & Polluci. Primùm certamen olim pugnis nudis factum est; itaque πύξ Græcis, & πυκτής Pugil. Latinis Pugna inde, atque etiam Pugnus: quoniam manus, quæ erat anteà passa, & μαυρὴς, unde nomen habet, clausis digitis effecta est πυκνὴ, densa. Pugnis addita lora ad munimentum, propterea quòd nudi cùm ferirent, sæpè plus damni acciperent, quàm facerent. Ea lora Græco vocabulo Cestus dicti (κεστὸν enim cingulum) brevis G
initio: mox, ne excussa exuerentur in ictibus, tum cubito, tum humero alligabantur. Postremò ferrum, plumbumque assutum est, sævissimo spectaculo. Cerebrum enim, ac guttur facillimè elidebant. Idcircò aurium munimenta induebant, αἰμφώτιδας. Pilæ plumbeæ Sphæræ dicuntur, unde σφαιρομαχία σφαιρομαχῶν. Tota ars, ictum vitare, non fuga, sed corporis inclinationibus, & flexionibus. Tum autem excipere ictum ictu, si fit fortior. Postremò nè inferre ictum frustra: concidebant enim plumbi onere præcipites acti, si impensius niterentur verberare. *Scaliger. lib. 1. poet. cap. 22. & Cælius lib. 13. Antiq. Lect.*

Hercules rediens ex Hispania, cùm per Italiam ad mare descendisset, apprimè angustum, utpotè tredecim stadiis latum, sicut Timæus asserit, boves quidem nando in Siciliam appulere, ipse cornu bovis innixus mare trajecit. Cupiens autem circumire Siciliam, à Peloro ad Erycem cùm pervenisset, perambulantilitus, ferunt Nymphas ei calidas aquas in requiem corporis parasse. Appropinquantem suæ ditionis locis Herculem, ad palæstram provocavit Eryx, Veneris, ac Butæ ejus oræ regis filius. Orta præmii contentione, cùm Eryx patriam, Hercules præmium certaminis boves offerret: indi- H
gnatus primum Eryx dicitur, boves minoris æstimationis suæ regioni comparari: Herculem verò respondisse, boves sibi pluris esse: quibus si privaretur, immortalitatem esset amissurus. His acquiescens Eryx, in eo certamine victus, patria spoliatus est. Eam postmodum incolis liberam ea conditione dedit, ut fructibus illius fruerentur, quoad aliquis ex suis posteris ad ea loca transiret. Quod & ita contigit. Multis enim posteà seculis Doricus Lacedæmonius ad Siciliam navigans, ea regione recepta, Heracleam urbem condidit. Quæ cum brevi crevisset opibus, Carthaginenses tum invidia, tum timore, ne quando viribus aucta Pænorum imperium deleret, magnis copiis à se obsessam, captamque evertere. *Diod. lib. 4. cap. 3.*

Cæstuum ludicrum Olympiade vigesimatertia restitutum Elide. In quo vicit Onomastus Smyrnæus. *Pausanias lib. 5.*

Ex duobus Tyndaridis Castor fuit equitatu clarus, Pollux pugillatu. *Ovidius.*

Tyndari-

Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
A *Horatius.*
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pollux.

Amycus Bebryciorum rex filius Neptuni, cæstibus clarus, quem occidit Pollux. *Sidonius.*

Sparta Therapnæa pugilem cùm gymnade pinguem
Stratum Bebryciis Amicum suspexit arenis.

Butes Amyci filius, & Eryx Butæ, illustres pugiles, Butem Dares interfecit. Eryx magister fuit Entelli, cujus cæstus Entellus ipse in Dareta certaturus protulit. *Virg. lib. 5. Æneid.*

In Nemeis ludis cùm Creugas Dyrrachinus pugil, & Damoxenus Syracusanus diem pugillatu ad vesperum exemissent, inter eos convenerat, cuncta audiente spectatorum corona, ut vicissim alter, in quam jussus esset corporis partem, singulas alterius plagas acciperet. Nondum instituerant pugiles cæstus, attenuato in acutum loro, ad utriusque manus articulum, quem Græci καρπὸν vocant religare: sed è crudo bovis corio, implicatis arte quadam vetere inter se torulis (Melichas appellabant) & ad volas revinctis depugnabant.
B Quo fiebat, ut digiti nudi relinquerentur. Tunc quidem Creugas prior Damoxeno in caput plagam inflixit. Jussit illum manum immotam sustinere. Quòd cùm ille fecisset. Damoxenus infestis digitis partem alvi petiit, quæ infrà costas est. Ea verò fuit cùm unguium duritia, tum incursionis impetus, ut immissis utrinque manibus viscera apprehenderit, eaque dilaniata extraxerit. Expiravit statim Creugas. Argivi Damoxenum, quòd pactis non stetisset, quippè, qui non uno, sed pluribus vulneribus adversarium confecisset, exilio mulctarunt: Creugæ jam mortuo palmam detulerunt, eidemque statuam Argis posuerunt, quæ ad Pausaniæ usque ætatem in Lycii Apollinis templo fuit. *Pausf. in Arcad.*

Cleomedes Astypalæus Epidaurium pugilem armatum unico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & injecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, cùm à judicibus in jus vocaretur, per forum abiens, columnam (qua ludi literarii domus fulciebatur) disjecit: eaque ruina pueros omnes adobruit. Alii dicunt fugientem in Minervæ templo arcam ingressum, operculo se obtexisse, ubi nusquam repertus sit. *Plut. in vit. Romuli, & Pausf. lib. 6.*

C Bysellus primus è cunctis Sicyoniis Olympiæ pueros in pugillatu vicit. *Pausf. lib. 6.*

Glaucus Carystius, ex Anthedone Bœotiorum (oriundum à Glauco marino Deo memorant) patrem habuit Carystium Demylum. In agro verò colendo à puero versatum tradunt. Cùmque fortè refixum vomerem manu pro malleo usus restituisset in pristinum aratri locum, patrem, cùm id animadvertisset, puerum in Olympicum pugillatum deduxisse. Ubi cùm Glaucus ab adversariis malè mulctaretur, quippè qui prorsus erat artis ejus inscius: cùmque congressus cum eo, cui extrema obtigerat sors certaminis, vulneribus jam propè confectus succumberet, inclamasse dicitur pater, Illam fili, ab aratro. Ea itaque voce puerum excitatum acri plaga adversario pulso mox victorem judicatum. Coronas idem cepisse dicitur Pythiorum duas, octonas Nemeorum, & Isthmiorum. Glauco filius statuam posuit, opifex fuit Glaucias Ægineta. Umbratilis pugnæ habitum præ se fert, quod omnium suæ ætatis manus ad certam legem moverit aptissimè. Cùm decessisset, à Carystiis in insula sepultum tradunt, quæ ab eo Glauci nomen habuit. *Pausf. lib. 6.*

D Eurydamas Cyreneus, cùm in cæstuum pugna victoriam adeptus esset, in ea ipsa pugna dentes ab adversario decussos absorpsit, ne qui contrà luctaretur animadverteret. *Ælian. lib. 10. de varia hist.*

Hippomachus Elæus, Machaonis F. pueros cæstu vicit in Olympia, tresque adversarios perculit, neque plaga, neque vulnere in ulla corporis parte accepto. *Pausf. lib. 6.*

Ferunt, Heraclidem fuisse pugilem, infiniti propè cibi, potusque capacem. Non reperiebatur illi par in portando. Alios ad jentaculum invitabat, alios ad prandium, ad cœnam alios, postremos ad comestationem. Recedentibus primis jungebantur secundi, omnibusque sufficiebat solus. *Cælius lib. 16. cap. 16.*

Nicodorus Mantinæus pugil nobilis, simul & philosophus, quantum gloriæ in certaminibus patriæ attulit, tantùm ætate jam provecta certare desinens, legibus, & institutis consuluit. *Ælian. lib. 2. de varia hist.*

Demarchus Parrhasius Arcas, pugil in Olympia vicit. Hunc in Jovis Lycæi sacris in lupum se vertere, ac decimo rursus anno pristinam recipere hominis figuram, fabulati E
sunt. *Pausf. lib. 6.*

Archippus Mitylenæus, cæstibus illustris, Coronas Olympicas, Pythicas, & Isthmicas cepit, cùm annum nondum excessisset vicesimum. *Pausf. lib. 6.*

Epithersas Metrodori filius, ex Erythris Joniæ, nobilis pugil, in quatuor certaminibus victor. *Pausf.*

Alcoenetus Lepreates, Theanti F. puerilem coronam mox etiam virilem è cæstuum certamine, Olympiæ retulit. Ejus filii Hellancius 89. mox Theanthus nonagesima Olympiade, de puerili pugillatu victores sunt renunciati. *Pausf. lib. 6.*

Diagoras pugil, cum Acesilao F. & tota prole statuas habent Olympiæ, in Alti, Jovis loco positas. *Pausf. lib. 6.*

Dioxippus Atheniensis pugil Horatam Macedonem ex invidia se ad singulare certamen provocantem, variisque male dictis insectantem, primo congressu superavit. *Diod. lib. 87. & Sab. lib. 6. Enn. 4. & Ælian. lib. 10.*

Suidas, Murem, ait, athletam quondam, seu pugilem Tarentinum, in Olympiacis certaminibus apud Pisam semel duntaxat victorem discessisse, idque plurimis acceptis plagis: atque inde natum proverbium. Quanta Mus apud Pisam, subaudi tulit. F
Erasm. in Adagiis.

HOPLOMACHI. GLADIATORES.

Armorum appellatione intelligimus ea, quæ punctim, cæsimve adversarii manu corporis unitatem solvunt, & vulnus inferunt.

EXTRA THEATRUM.

Apud Nasamones, à virginibus quotannis ad Tritonidis paludem certamen edi, memoriæ proditum est: quo non cursu, sed pugnis, & fustibus certabant. Ex quibus si quæ ictu concidisset, falsa censebatur virgo: victrix verò armata vectabatur curru. *Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. ex Herod.*

Parynonem ducem Athenienssium clarissimum Pittacus Mitylenæus singulari contendens certamine, reti sub clypeo latente involvit, atque hoc modo superavit. *Herod.*

Aristomenes Messenius solus trecentos Lacedæmonas occidit. Tandem vulneratus, & captus, mortem per cuniculos, G
subterraneasque cavernas effugit. Iterum captus, custodibus somno sepultis accessit ad ignem, & lora combussit. Tertio captus, cùm Spartani discecussent, introspexissentque qualis esset, repertus est hirsuto corde. *Plin. lib. 11. cap. 37.*

M. Servilius, vir consularis, tricies, & vigesies in singulari certamine pugnavit, ac semper trucidavit hostem. *Plut. in Æmilio.*

Æmilius Lepidus puer adhuc in aciem progressus, hostem interemit, & civem servavit: cui propter id Romæ in Capitolio posita est statua bullata.

IN THEATRO, SPECTANTIBUS aliis. Sic armati congrediuntur.

Pedites, Gladiatores, Xystici.

Xystici sunt dicti, quod in xystis, & longis porticibus exercebantur: vel à Græco verbo ξυστὸς, quod est hasta, quòd hastis depugnarent velut gladiatores. Hinc xystarchus, qui gymnasio præesset. *Alex. lib. 3. cap. 9.* H

Gladiatorum genera sunt Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces. Horum magistri dicuntur Lanistæ, qui gladiaturam domi exercebant, instituebantque tyrones, quos vendebant muneratiis. Erant Muneratii spectaculorum exhibitores, qui ludos gladiatorios populo exhibebant, Græcis Agonothetæ. Retiarii pugnabant in Mirmillonem vocabulo à rete deducto, quod sub scuto ferebant: ut involverent inimicum, Mirmillones nomen habuerunt à Mirmillonio genere armaturæ Gallicæ, quo utebantur. Retiarii tunica utebantur & fuscina. *Suet.* Retiarii, inquit, tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo, totidem secutoribus succubuerant, cùm occidi juberentur, unus resumpta fuscina, omnes interemit. Secutor galeam ferebat, & clypeum falcemque supinam: Retiarius galerum tantum. *Juvenalis Satyra 8.*

Nec galea frontem abscondit, movet ecce tridentem.

Nicolaus Damascenus Peripateticus, historia xx. de Romanis sic scribit: Gladiatorum spectacula non in conventibus

tibus solùm, aut in theatris Romani exhibebant: quam consuetudinem primùm acceperant à Tyrrhenis, verùm etiam in privatis conviviis. Multi siquidem sæpiùs amicos ad cœnam invitarunt cùm aliis de causis, tum ut duo, vel tria gladiatorum paria cernerent. Posteà cùm vino jam, & cibo saturati essent, gladiatores intrò advocabant: qui dum alter eorum jugularetur, quasi magnopere delectati, applaudebant: usque adeò ut in testamento etiam quidam reliquerit, ut formosissimæ mulieres, quas possidebat, digladiarentur: alius impuberes pueros, qui illum amaverant, huic sorti exposuerit, quam tamen injuriam populus abrogavit: *Eratosthenes lib. 1. Rerum Olymp.* Tyrrhenos, inquit, pugnis ad tibiam decertare solitos. At *Possidon. l. Histor.* 23. Celtas ait inter cœnandum singulari certamine pugnare, ut nisi præsentes eos distraherent, ad interitum usque pugnaretur. Multis animalium membris appositis, partem is, qui fortissimus esset, capiebat. Si quis autem eum prohibere voluisset, insurgebant ad mortem usque singulari certamine dimicantes. *Athen. lib. 4. cap. 16.*

Polydamantis athletæ fama permotus rex Darius, Artoxerxis filius, magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eo cùm venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos (qui una ex provocatione arma susceperant in adversarium) solus contrucidavit. *Suidas.*

Dioxippus miles Alexandri magni mira fortitudine provocatus à Corthago milite Macedone, clava eum occidit. Ælianus, & Q. Curtius. Alii ob regis interventum hosti jam resupinato pepercisse scribunt.

Posteaquàm Cassander ex Bœotia rediens regem sepelivit Ægis, reginamque, & unà cum illis Gynnam Eurydices matrem, reliquosque honores, quibus decorare conveniebant, instituit, monomachiæ certamen addidit, ad quod quatuor Milites accesserunt. *Athen. lib. 4. cap. 17.*

Tritanus gladiator (quem patria Samnitem fuisse, Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis affirmat) tantùm rectis, & transversis nervis cancellatis non modò in crate pectoris, sed & in manibus, & brachiis præditus, omnes adversarios levi tactu, ac penè securis congressionibus vicit. *Solin. cap. 4. Polybist. & Plin. lib. 7. cap. 13.*

Ejus filium militem patri similem sub Cn. Pompeii patre meruisse ajunt: & hostem ita spreviſse, ut inermi dextra cum uno digito superarit, & captum in castra sui imperatoris reportarit. *Solin. cap. 4. Polybist. & Plin. lib. 7. cap. 20.*

Spartacus gladiator, Thrax genere, unà cum Chryso, & Oenomaro, effracto Lentuli ludo gladiatorio, Capua erupit cum LXX. gladiatoribus: collectoque exulum, & fugitivorum non parvo exercitu, bellum ingens concitavit. ☞ *Vide Tit. Servi perfidi erga dominos.*

Sabinus gladiator ob insigne robur ad Tribunatum evectus, & Germanis Caii Imper. satellitibus præfectus fuit, *Joseph. lib. 89. cap. 1.*

Ersenius, & Pacidianus gladiatores nobilissimi. A quibus natum adagium: Ersenius cum Pacidiano. Cicero de perfecto Oratore: A me autem (quo maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines tanquam Ersenius, non spurcus homo, sed doctus, & acer, cum Pacidiano hic componitur, optimus longè post homines natos.

Horatius Vejanii gladiatoris meminit *in principio Epistolarum.*

—— *Vejanius armis*
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Spiculum gladiatorem Romani Neronis statuis subiectum in foro prodiderunt. *Plut.*

Bithus, & Bacchius gladiatores pares arte, & audacia. Hinc adagium: Bithus contra Bacchium, cùm duo æqualiter improbi contendunt inter sese. Nam cùm multos interfecissent, tandem congressi mutuis vulneribus se confoderunt.

Gracchus retiarius apud *Juvenal. Satyra* 8.

Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina:
Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit.

Turbo gladiator apud *Horat. lib. 2. Serm.*

Corpore majorem rides Turbonis in armis.

Bato gladiator cum tribus Caracallæ Imperatoris jussu uno die congressus, duos quidem gladio interfecit, à posteriore verò occisus, Cæsaris jussu magnifica sepultura ornatur. *Dion. Nyceus.*

Hama apud Saxones gymnicis palmis clarissimus habitus est, adeò ut magno militaris pompæ tripudio ductus sit ad condictum, & Starchatero inter Danos fortissimo, sed capulari oppositus. Cùm in conflictum ambo descendissent, astarentque hinc, & inde numerosi spectatores, ut suæ partis victori gratularentur: Starchaterus primo quidem insultu propter invalidas vires penè resupinatus est: verùm ubi pudore resumpsit vires, & se sibi restituit, medium Hamæ corpus dissecuit. *Saxo lib. 6.*

Equites. Equestres concursus, Pugnæ.

Troja, equestris pugnæ nomen. Tranquillus in Cæsare: Circensibus, inquit, spacio Circi ab utraque parte producto in gyrum, Euripo addito, quadrigas, bigas, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. Trojam lusit turma duplex majorum, & minorum puerorum. Troja autem erat equestre simulachrum, sed umbratica equitum pugna: in qua equi in orbe se invicem petebant. Hujus ludi originem *Virgil. lib. 5. Æneid.* describit.

Andronicus Imperator nato filio Joanne, duo certamina celebravit, Olympicorum imitatione. Quorum alterum duelli speciem præ se ferens, Cintzustra dicitur (An hinc Italorum Giostra?) Dividuntur secundùm tribus, municipia, curias. Deinde utraque pars armatur, singuli contra singulos, qui volunt, & ab omni parte armis teguntur. Mox utrique hastis veruto præfixo acceptis, impetu concurrunt, & alii alios fortiter urgent: qui equo alium dejecerit, corolla ornatur. Alterum certamen Torne appellatum (An hinc Germanorum *Zornier?*) sic se habet: Dividuntur & hic secundùm tribus, municipia, & curias, & simul omnes armantur. Deinde Duobus principibus sorte delectis, inter sese concurrunt. Post certaminis hujus finem utraque pars ducem suum secuta est, atque inter cæteros eorum Imperator etiam subditi ordinem non deferens, cum honorifica pompa, & ordine in suum diversorium deducunt. Ubi ille cuique vini craterem propinans, & dexteram porrigens, omnes domum redire jubet. *Gregoras lib. 10.*

CERTAMINA CIRCA INANIMATA
Corpora. Qui Certant

PILA. SPHÆRISTÆ.

☞ *Sphæristica saltationis species est. At nos hic respectu corporis alieni, quod movetur, pilæ ludum per se consideramus.*

Βασιλεύς, ἢ ὄνος, id est, Rex, aut asinus, hoc est, aut victor, aut victus. Simile ille, ἢ τρὶς ἢ τρὶς κύβοι. Aut ter sex, aut tres tali. Eustathius Odissæ sextum enarrans librum ostendit metaphoram ductam ab his, qui ludunt sphæra: quibus qui vicisset, rex appellabatur: qui victus fuisset, huic asino nomen erat. Plato in Thæateto: ὁ δὲ ἀμαθὴς, κεδυξέστατα, ὥσπερ φασὶν οἱ σφαιριζοντες, ὄνος, ὃς δ' ἂν παραγένηται ἀνεμάρτητος, βασιλεὺς ἡμῶν, id est, Qui aberrarit, is desidebit, quemadmodum dicunt ii, qui sphæra ludunt, asinus: qui verò nihil aberrans vicerit, rex noster esto. *Julius Pollux. lib. de rerum vocabulis 9.* Sphæra ludendi quatuor modos commemorat, quorum primus appellatur ἐπισκύρος, alter φαινίδα, seu φαινίδω, tertius ἀπόῤῥαξις, quartus ὁρανία. Quorum postremum (nam is ad proverbium proprie facit) describit his verbis: Aliquis resupinans sese, sphæram in cœlum mittit: reliqui autem certamen erat, ut eam prius, quàm in terram recideret, raperent: id quod in Phæacibus significare videtur *Homerus.* Sanè verò cùm adversus parietem sphæram misissent, numerus subfultuum censebatur, & qui victus fuisset, is asinus appellabatur: & quicquid imperatum esset, faciebat: rursus, qui vicisset, is & rex erat, & imperabat. *Erasm. in Adag.*

Ludebat pila non insuaviter Ctesibius Chalbidensis philosophus: & alii complures Antigoni regis amici simul vestes exuebant. Scripsit de ludo pilæ Timocrates Laconicus. Famosissimus fuit Demoteles, Theognidis Chii sapientis frater in ludo pilæ, & Chærephanes quidam. *Athenæus lib. 1. cap. 8.*

Pilæ inventio Nausiacæ tribuitur ab Agallide Corcyrea grammatica, Sicyoniis à Dicæarcho: alii verò Lacedæmoniis, quibus & gymnasia ascribuntur primis. *Ex Athenæo Cœlius lib. 20. cap. 14. Antiq. Lect.*

Aristonico Carystio, Alexandri regis sphæristæ, statuam ob artificem ludendi modum Athenienses erexisse, proditum est monumentis. Apud Homerum, non viri modò, sed & mulieres pila oblectantur. *Cœlius lib. 20. cap. 14. Antiq. Lect. ex Athenæi lib. 1. cap. 13.*

DISCO. CERTAMINA
Disci.

Perseus disci inventor, Acrisium Argivorum regem, avum suum, & quo fuerat expositus, dum autem disci Larissæ ostentat, casu intervenientem disci impetu occidit. *Pausanias in Corinth.*

JACULO. JACULI CERTAMINA.

Hippocoon Mnestheus, Eurytion, sagittarii fuerunt: qui, teste Virgilio, contenderunt de palma in ludis illis exequialibus, quos Æneas ad tumulum patris Anchisæ celebravit, cùm relicta Africa in Italiam navigaturus redit per Siciliam.

PANCRATIASTÆ. PANCRATII
Certamen.

Pancratium ex lucta, & pugillatu constare, *Gregoras in lib. Synosii de Insomniis* testatur. Licebat enim, & luctæ, & pugillatus legibus uti. *Idem Plutarch. lib. 2. Sympos. & Philostratus Iconum 2. in Arrichione.* Proinde reprehendit *Crodæus in Epigramm.* Volaterranum, & Hermolaum Barbarum, qui Pancratiasten eundem cum Pentathlo volunt esse. Παγκρατιαστὴς corporis totius conatu, pugnis, calcibus, genubus dentibus, omnique virium contentione insurgit in pugnam. Eapropter πάμμαχος, quoque dicitur. Ad pugnam vocatus, Gellio teste, projectis altè brachiis consistit, caputque, & os suum manibus oppositis, quasi vallo præmunit; congressus inde, partim apprehendendo luctari, partim feriendo pugilem videtur agere. Theseus hoc genus invenisse creditur, quando in Creta absque gladio Minotaurum aggressus est. *Cœl. lib. 13. Antiq. Lect.*

Pancratii ludicrum Olymp. 28. introductum. In quo vicit Lygdamis Syracusanus, qui magnitudine corporis Herculi Thebano par fuit. Ejus sepulchrum Syracusis propè Latomias extat. At Olymp. 77. Callias Atheniensis. *Pausanias lib. 5.* De eodem paulò diversa alii: nempè, quòd Lygdamus 33. Olympiade primus ex Olympico certamine pancratii coronam reportavit. Ejus ossa medullam non habentia deprehensa sunt. Maximam virium substantiam nervos facere, certissimum est: quantoque fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. *Plin. lib. 7. cap. 20. & Solin. cap. 4. Polybist.*

Straton Choragi filius, pancratiastes, non ante corporis exercitia usurpavit, quàm ex splene laborare cœpit. Tunc enim primùm ad recuperandam valetudinem iis usus est. At cùm egregiè in hac arte profecisset, & jam specimen ejus ederet in ludis Olympicis, una die vicit luctam, & pancratium, & sequenti Olympiade etiam Nemea, Isthmica, & Pythica. *Ælian. de Var. hist. lib. 4.*

Autolycus nobis fuit pancratiastes, cui statua posita est in Prytaneo: is erat locus Athenis in arce dignissimus, ubi judices de negotiis reipub. pertractabant. *Paus.*

Theagenes Thasius, de pancratio victor Olympiæ, item de pugillatu Euthymo Locrense superato. Adeptus præterea de pugillatu Pythicas coronas tres, Nemiacas novem. De mixtis pugillatus, & pancratii certaminibus in Isthmo decem. Phthiæ verò in Thessalis, emisso pancratii studio, in longiore etiam curriculo competitores vicit: Achillem æmulatus, in cujus patria fe victorem cursus declarari concupivit. Fuerunt numero coronæ ejus omnes quadringentæ. *Idem.*

Antiochus Lepreates: in omnium membrorum, quod pancratium appellant, palæstra, viros in Olympia semel in Isthmicis, & Nemeis bis eodem certamine superavit. *Paus. lib. 6.*

Pitheam Æginetam Lamponis filium, pancratiasten laudat à victoria pancratii, *Pindarus Ode 5. Nemeorum*, quam juvenis adhuc, & imberbis vicit:

Οὐ μὰν ὑς φαίνων πέρεννον
ματερ ὀνάσσας ὁ πώρων.

cùm nondum genæ ejus autumnum, teneram vindemiæ matrem, ostenderent.

Polydamas Niciæ F. ex Scotussa Thessaliæ urbe, pancratiastes robustissimus, omnium hominum sua ætate statura corporis maximus fuit, cujus statua è celsa pila Lysippi opus in alti Olympiæ conspiciebatur olim. *Pausan. lib. 6. & Suidas.*

Sostratus Sycionius nobilis Pancratiastes, Olympiade 104. claruit, cui cognomen fuit Arocherstites, quòd adversariorum summas manus tam fortiter apprehendebat, ut non priùs eos dimitteret, quàm elisis digitis dolore confectos intelligeret. Duodecim ei partim Nemeorum, partim verò Isthmiorum palmæ datæ sunt, Pythicæ duæ, Olympiæ tres. *Paus. lib. 6.*

Arrachion Phigalensis ex Arcadia, tulit è Pancratio palmas duas è superioribus Olympiadibus, & quarta supra quinquagesimam, tam justa eorum, qui ludis præsidebant, sententia, quàm virtute sua, oppido quam insignem meruit. Cùm enim victis aliis adversariis, unus, quo cum de oleastro certaret, relictus esset, ille eodem impetu & pedibus Arrachionem incinxit, & manibus collum obstrinxit. Ejus digitum Arrachion pedis infregit, & dum strangulatus jam animam ageret, præ digiti dolore adversarius eodem temporis momento corruit. Elei itaque Arrhachionis cadaveri victoriam præconis voce adjudicarunt. Satuatn ei in foro Phigalenses posuere. *Paus. in Arcad.*

Timoni de quinquertio ludis Græciæ omnibus delatæ sunt palmæ: Isthmiois tamen exceptis, quibus ei, sicut cæteris Elæis, interdictum fuit. *Paul. lib. 6.*

Doricus, Diagoræ Rhodii pugilis clarissimi filius, natu minimus, tres Olympicas palmas continuas de pancratio tulit: octo continuatas Isthmicas, una pauciores è Nemeis: Pythicam etiam intacto pulvere coronam cepit. Hic Rhodo pulsus, & postliminio reversus, omnium apertissime Lacedæmoniorum studia professus est, & propriis triremibus navali bello cum Atheniensibus pugnans, captus, & Athenas pertractus, simul atque in concionem captivi habitu productus est, tanti viri, cujusque nomen tam insigni gloria fuisset, miseratione adducti Athenienses, eum incolumem dimisere. *Idem.*

Timathes Cleonæus, virilem pancratii coronam Olympicis ludis tulit: Is abjunxerat se ætatis causa ab athletarum certaminibus. Quò vires tamen pristinas exercitationibus tueretur, magnum, & robustum quotidiè arcum intendebat. Verùm cùm peregrè profectus consuetudinem intermisisset, eam reversus domum voluit repetere. Sed enim cùm sensisset non satis in arcum tendendum virium sibi superesse, rogo extructo seipsum in ignem conjecit. *Paus. lib. 6. & Suidas.*

Timasitheus Delphus duas Olympicas de Pancratio tres Pythicas palmas abstulit. Ejusdem fuit & belli gloria insignis tum virtute, tum felicitate. Extremi tamen prælii fatalis ei fuit conatus. Cùm enim Isagoras Atheniensis ipsam Athenarum arcem dominandi cupiditate incitatus occupasset particeps fuit ejus facinoris Timasitheus. Quarè iis oppressis, qui se in arcem concluserant, capitis damnatus, Atheniensibus injuriæ pœnas dedit. *Paus. l. 6.*

EQUORUM CERTAMINA.
Celites.

Cursu, saltu, lucta, pugilatu, jactu sese olim exercebant viri, & præter hæc compositis pancratio, & pentathlo. Opibus deinde obtinuit luxus, ut etiam equos alerent cursores. Qui primis equis currerent, κέλητες vocati: unde & priscum Celer nomen. Sic enim Equites sub Romulo dicti, qui posteà Trossuli ab oppidi nomine, quod sua ipsi opera sine peditatu expugnassent. *Scaliger lib. 1. Poet. cap. 22.*

Equorum integra ætate cursus in Olympia introductus Olymp. 25. in quo vicit Dagondas Thebanus. *Paus. lib. 5.*

Hermogenes Xantius, Lycius homo, ludis trinis Olympiacum oleastrum octies abstulit. Quafe equi cognomento à Græcis celebratus est. *Paus. lib. 6.*

Jasius Tegeates in Olympia equo vicit, quo primùm tempore Thebanus Hercules Olympiorum conventum instituit. Ei Thegeæ in foro statua posita. *Paus. in Arcad.*

Omnium Græcorum, qui equorum alendi studio clari fuere primus Cleostenes Pontius ex Epidamno statuam Olympiæ posuit Olympiade 66. *Paus. lib. 6.*

Phidolæ Corinthii equa in curriculo Olympico ab ipsis statim carceribus sessore suo collapso, & cursum pristinum æquè, ac si rectorem haberet, retinuit, & circa metam se convertit. Audito verò tubæ sonitu concitata est vehementiùs, cumque ad ludorum præfectos antevertisset, jam victoriæ se quasi compotem intelligens constitit. Elei Philoda victore renuncia-

nunciato ei, ut equæ simulacrum dedicaret, concesserunt. A *Paus. lib.6.*

Callias Phænippi F. Athenienſis Olympiæ in equorum curſu palmam obtinuit, & in quadrigario fuit ſecundus: in ludis Pythiis cum primas obtinuiſſet, in univerſos Græcos ſumptuoſius extitit. *Herod. lib.6.*

Apud veteres Gothos mos erat circa finem Decembris (dum lacus omnes glacie conſtringerentur) optimos quoſque equos in ſingulis provinciis ad edenda publica ſpectacula colligere, ut quem celeriore curſu reliquis omnibus præcellere viderent, hunc ſacrificio numinum velut munus pretioſum ad aram mactandum, comburendumve offerent: opinantes eo dono cunctis hoſtibus ſeſe fore ſuperiores, prout Herodotus lib.1. tradit de Meſſagetis, & Strabo lib.10. qui ſolem Deum putant, & eidem equum mactant. Simul etiam, ut regi velociſſimos equos offerrent, quibus contra hoſtiles motus, exploratores uterentur. *Olaus Mag. lib.11. cap.24.*

PENTATHLI QUINQUERTIONES.

Pentathlum, ait Feſtus, antiqui quinquatrum dixerunt. B Id autem genus exercitationis his quinque actibus conſtat, jactu diſci, curſu, ſaltu, jaculatione, luctatione. *Bud. in Pandect.* diſci, & jaculi loco pugillatum, & pancratium ſtatuit, ex auctoritate Feſti. Ea in ſententia vide, an ſit *Ariſt. Rhetor. a. cum Suida in verbo Δίφυλλος, & Ariſtophanis enarratorem in Avib.* qui cùm octo certationes enumeret (quæ tamen in pauciores recidunt) diſcum, & jaculum præterit. Nam dolichus, diaulus hoplites, vel hoplitodromus, ad curſum pertinent. *Brod. in 1. Epigr.* A Latinis ſunt Quinquertiones appellati: quoniam vox hæc Ars, prima ſua origine robur, ac fortitudinem deſignavit. *Scalig. l.1. poet. cap.* 22. eum, qui curſu ſaltu, lucta, pugillatu, jactu diſci, jaculive viciſſet, Pentathlum propriè dici probabiliter autumat.

Pentathli, ſive Quinquertii certamen, quod jam exoleverat Olymp. 18. reſtitutum fuit, in quo vicit Lampis Lacedæmonius. *Paus. lib.5.*

Iccus Nicolaidæ F. Tarentinus Olympicam coronam de quinquertio cepit: ac deinde in ſequentibus athletarum fuit magiſter ſui temporis præſtantiſſimus. *Paus. lib.6.*

C Phayllus quidam pentathlus Opuntius, vel Crotoniata, tum ſaltu, tum diſco mirum in modum valuiſſe legitur. Hæc fermè Suidas. Extat, & inſcriptio ſtatuæ illius hujuſmodi:

Πάντ' ἐπὶ πεντάθλοισι πύδας πάδωσι φάλλος:
Δισκεύει δ' ἱκανὸν πάντ' ἀπολειπόμενον. *id eſt*

Quinque ſuprà quinquaginta pedes ſaliit Phayllus: diſcum, autem jacit centum, exceptis quinque. *Eraſm. in Adag.*

Hysmon Eleus, cùm ad quinquertii certamen veniſſet, Olympicis unam, Nemeis alteram palmam tulit. Ab Iſthmicis certè æquè hic, atque alii Elei excluſus eſt. Hic cùm puer adhuc nervorum imbecillitate tentaretur, ad quinquertium animum adjecit. Et qua exercitatione cùm morbum depuliſſet, multas exin in eo certamine, & inſignes accepit coronas. Statua ejus in Alti Cleonis opus eſt, & haſteres, qui falientium libramenta ſunt tenet. *Paus. lib.6.*

FORMÆ, ET PULCHRITUDINIS CERTAMINA.

Artaxerxes rex Perſarum, repudiata Vaſthi regina, novam ex procerum ſuorum conſilio inducturus, mandavit cer- D tis hominibus, ut forma celebres virgines ex toto regno ſelectas ad ſe adducerent. Id mandatum illis diligenter exequentibus inventa eſt Babylone Eſther Abichai F. puella utroque parente orbata, quæ apud patruum Mardochæum educabatur: is erat tribus Benjamiticæ, unus ex Judæorum primatibus. Hæc puella præ cæteris omnibus excellebat pulchritudine, & gratiis vultus in ſe oculos convertebat. Itaque Hegæo eunucho commendata, tractata eſt apud eum delicatiſſimè, ſex menſibus oleo myrtino, & totidem odoramentis, atque unguentis precioſiſſimis, quibus principes feminæ corpus curare ſolent, quotidiè delibuta. Atque hac tractatione per duodecim menſes uſæ ſunt quadringentæ numero virgines. Quando verò ſatis jam curatas exiſtimabat, & regis lecto tempeſtivas, unam ſingulis diebus mittebat ad eum, qui poſt complexus eam ad Saſagaym alterum eunuchum remittebat. Perducta verò Eſther, quæ nullum ornatum alium præter conſuetum habebat, nativa illius ſpecie delectatus rex, & amore correptus legitimam conjugem eam ſibi adjunxit, nuptiaſque celebravit anno regni ſui ſeptimo, menſe XII. qui Ader dicitur: dimiſitque quos angaros vocant, per omnes gentes nuptiale feſtum ei indicens. Ipſe verò Perſas, & E Medos, & primates aliarum gentium accepit convivio nuptiali per menſem integrum: & ingreſſæ regiam uxori diadema impoſuit: atque ita cum ea convixit, nunquam interrogata, quonam eſſet nata genere. *Eſther. 2. & Joſeph. lib.11. cap.6.*

Isacius Meduſam inquit fuiſſe omnium mulierum ſuæ ætatis pulcherrimam. Quæ cùm magnopere capillorum pulchritudine gloriaretur, ſeque, vel Pallade pulchriorem affirmaret, auderetque de forma cum dea contendere, Pallas Perſeum ad illam miſit, qui eam obtruncavit. *Paus. in Corinth.* inquit, Meduſam fuiſſe filiam Phorci, quæ mortuo patre regnum ab illo acceperit eorum populorum, qui ad Tritonidem paludem accolunt, ſolitamque in venatione, & pugnas exire. A Perſei copiis, quas ille ductabat ex Peloponneſo, in acie noctu per inſidias in caſtris trucidata eſt. Cujus vel mortuæ pulchritudinem admiratus Perſeus, ut omnibus eſſet ſpectaculo præciſum caput in Græciam portavit. Quo viſo, homines admirati, dicti ſunt in lapides convertri. *Natalis Comes Mythol. lib.1. cap.11.*

In certamine formæ olim præmium malum erat aureum. F Itaque Paris Veneri, quam pulcherrimam judicatet inter tres deas, pomum tribuit. Eam ob cauſam pomum Veneri ſacrum fingitur, & μυκροβολὸν pro τὸ ἀφροδίσιον δωρεῖον, fumitur apud Theocritum, & Ariſtophanem, & Hippomenes jacto malo Atalantam ſuperavit. Sic & Virgilius: *Malo me Galatea petit laſciva puella.* Attemidorus propter mollitiem, ſuavitatem, & fragrantiam, Veneri dicatum ſcribit. *Brodeus in 4. Epigram. Græcor.*

Καλλιστεῖα certamen erat Lesbi de formæ muliebris præſtantia, ut docet Homeri glofſographus. *Brodeus in 6. Epigram.*

Diadumenus, formoſus omnis adoleſcens olim appellabatur, id eſt, diadematus, & vittatus. Nam in Elide formæ certamen haberi ſolitum, Dionyſius, & Theophraſtus ſcribunt, vincentem quoque armis donari, ac vittatum ab amicis ad templum deduci, coronarique myrto, arma ipſa minervæ conſecrati. *Volater. lib.15. Anth. & Alex. lib. 5. cap.8. ex Athen. lib.13. cap.7.* Fuit alioqui Diadumenus elegantiſſimus juvenis, cujus effigiem Polyeletus expreſſit G juventa molliore. Ejuſdem nominis fuit alter, Auguſti præ- C guſtator, qui in formæ certamine apud Elidem palmam meruit. *Volater.*

In Cereris Eleuſiniæ feſto, propè Alpheum ſpeciei certamen erat, in quo Tenediæ mulieres omnium quotquot ſunt in Aſia venuſtatis palmam tulerunt: tametſi Hypæpas, tanquam venuſtatis præcipuæ, alii celebratim, & Homerus formoſiſſimas in Hellade aſſeveret. *Alex. lib.5. cap.8.* Illic victrix apparuit prima Herodice, Cypſeli uxor, qui certamen inſtituit, Mulieres certantes χρυσοφόροι appellabantur. *Ex Athen. lib. 13. cap.13. Cœl. lib.13. cap.9.*

Duæ ſorores Syracuſanæ ruſtici cujuſdam filiæ, de formæ præſtantia inter ſe decertabant in via publica. Acceſſit adoleſcens, qui formas admiratus, patri ſeni oſtendit. Eo majorem præferente, ejus amore captus eſt. Profectus in urbem, lecto cœpit decumbere. Morbi cauſam expoſuit fratri natu minori. Is rus profectus, conſpectis puellis, minoris amore correptus eſt. Pater virginum collocat eas hujus filiis, quas cives ob inſignem formam appellarunt καλλιπύγους. Harum opibus extructum eſt Veneri templum, quam & ipſam à puellis dixere καλλίπυγον. De quibus Cercidæ Scazontem H citat *Athen. lib.12. cap.32.* Ἡ καλλιπύγου ζώνης ἐν συρακούσαις, id eſt, Par callipygon quondam erat Syraculis. *Eraſm. in Adag. & Gyral. Dial. 7. hiſt. poet.*

Celebratur in Græcia convivium, multis mulieribus frequens. Inter oblectamenta epulantium, cùm alii ſunt nonnulli luſus inducti, tum ille, ut per vices unuſquiſque convivarum cæteris omnibus quicquid eſſet collibitum imperaret. Cùm eſſet ventum ad Phrynen meretricem inſigni ſpecie, & ingenio non inamœno, eaque animadvertiſſet adeſſe complures feminarum, ceruſſa, purpuriſſo, & aliis pigmentis incruſtatas: ad pudorem incutiendum: Rem (inquit) levem jubebo, quam & ipſa obibo prima: ut unaquæque noſtrum madidas manus per os circumducat, ac linteo extergat. Ipſa prima eſt ſuum ipſius juſſum executa. Sed cùm nihil gereret fuci, ex lotione illa pulcrior remanſit: fucatæ verò abſurdas in primis, & ridiculas facies retulerunt, ludibrioque tunc habitæ, abſtinuerunt deinceps ejuſmodi medicamentis, & contentæ

tentæ nativa facie, ſpreverunt emptitiam. *Lud. Vives de Chriſtiana femina lib.1.*

Terentia Mecænatis uxor, adeò fuit venuſta, ut ſit aliquando auſa cum Livia de pulcritudine contendere. Fuit autem Livia Auguſti Cæſaris uxor, quæ eo tempore omnium eſſe formoſiſſima putabatur. *Dion. in Auguſto.*

☞ *Vide Titulum de Eloquentia, Logica, Juriſprudentia, Muſica, Medicina, Mechanica, & ſimiles, ubi de diſciplinis agitur, cùm in illis plerumque fuerit decertatum.*

Cervix.

☞ *Conſule Titulum de Corpore, §. Partes corporis.*

* Chaldæi.

Unde Dicti? Eorumque Origo.

CHaldæi ab Hebræo, & Chaldæo *Chaſdim*; mutata litera S. in L. dicuntur. Quomodo ex ἐδυσσεὺς factum eſt B Ulyſſes. *Chaſdim* verò plurale habet in ſingulari *Chaſad*, quod decurtatum putant nonnulli ab *Arphaeſad*. tres enim ultimæ litteræ conveniunt, vocales namque apud Hebræos non æſtimantur. Ideòque cenſent, Chaldæos nominatos ab Arphaſad filio Sem.

Religio.

Maximi Idololatræ perhibentur fuiſſe Chaldæi, neque fuit gens adeò dedita divinationibus, & aſtrorum prædictionibus ac iſta. Colebant, & venerabantur inter alia, cum Perſis Ignem, urbemque, in qua illum ſervabant, dicebant Ur, quod ſignificat Ignem. Ideòque multas afflictiones Abrahamum paſſum à Chaldæis, eò quod nollet adorare ignem, docet Joſephus, S. Auguſtinus, & alii.

Potentia.

Chaldæi fuerunt potentiſſimi, & terribiles omnibus finitimis Provinciis, ita ut orbem univerſum ſuo ſubjecerint im- C perio. Quater enim Jeruſalem vaſtarunt. Primo, dum Joakim Regem, cum quo etiam Daniel captus eſt, ceperunt. Secundò, cùm ejus filium Joachim abduxerunt. Tertiò, cum Sedechiam in captivitatem tradiderunt. Quartò, dum templum in cineres à Nabuzardam redactum eſt. Et loquitur de his metaphoricè *Joel. cap.* 1. dum eas vaſtationes variè comparat, dicens: Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & bruchi rubigo. Ita *S. Hieronym.* quem paſſim ſequuntur Doctores, paucis exceptis.

Jactantia, Et Errores.

Finxerunt Chaldæi, uti & Ægyptii, innumera mundi ſæcula, ut incredibili ſuæ vetuſtati quam fingebant, fidem facerent. Gloriabantur ſe habere ſiderum rerumque cœleſtium ſcientiam, non minus quam LXX. & quadringentorum mille annorum obſervationibus, experimentiſque comprobatam, & comparatam.

Porphyrius eſt author, Calliſthenem diſcipulum, & nepotem Ariſtotelis, comitemque bellorum Alexandri Magni cum Babylone omnia Chaldæorum arcana, & monumenta D excuſſiſſet, & curioſè eſſet ſcrutatus, reperiſſe obſervationes rerum cœleſtium, quæ omnium erant vetuſtiſſimæ, non ampliùs quam mille, & nongentorum annorum.

Hypparchus etiam, & *Ptolemæus* primi ſideralis ſapientiæ Antiſtites, illius antiquitatem non altius repetunt, quàm à temporibus Nabuchodonoſor Regis Chaldæorum, qui cœpit regnare circà Olympiadem XXXI.

Monarchia.

☞ *Quære Titulum de Monarchia, §. Chaldæorum Monarchia.*

* Chamæleon.

ANimal eſt frequens in Africa, & Braſilia, colorem habens lacertæ, quadruples, roſto ſuillo, cauda oblonga, ungues habet aduncos, & aſperum corpus inſtar crocodili, ſemper hianti ore procedit. Ferunt autem nec cibo veſci, nec potu, ſed ſolo aere. Quod tamen non ita ſe habet, ſed cùm ſit tardæ digeſtionis, pauco cibo eget, & rore paſcitur, muſcaſ- E que captat, & ſimilem alimoniam levem, & tenuem ſumit. Ita Auguſtin. Niphus, Geſnerus, & alii.

Dicitur autem mutare colorem juxta formam coloris illi ſuppoſiti: non quod iis imbuatur reipſa, ſed cùm habeat corpus rarum, & tranſmeabile, per id tanquam per vitrum cernuntur rerum ſubjacentium colores, qui tamen hallucinante adſpectu videntur in ipſo chamæleonte reſidere, quomodo vitrum videtur imbui coloribus per ipſum tranſparentibus.

* Chananæi.

Origo.

ORigo Chananæorum deſumitur à quarto filio Cham, qui fuit Chanaam (quem in Arca ob patris intemperantiam genitum Chryſoſtomus memorat: ſed contrarium conſtat *ex c.*10. *Gen.* natum ſcilicet poſt diluvium) cui Noe pro ſcelere per patrem admiſſo maledixit, & ſervitutem viliſſi- F mam denunciavit.

Progressus, Et Exitus.

Fuerunt autem à Deo puniti, ejuſque juſſu deleti, ut conſtat *Num. c.* 33. idque ob tres cauſas: tum quòd Hebræis immineret grave exitium ab illis: tum quòd idolis ſuis, ac vitiis, quibus abundabant, eos polluturi eſſent: denique quòd eſſet gens impiiſſima. Unde notantur eorundem præcipua peccata Idololatria, qua etiam proprios filios dæmoni immolabant: Injuſtæ peregrinorum oppreſſiones, promiſcua matrimonia cum conſanguineis, & vagæ libidines etiam cum beſtiis. Legatur *c.*18. *Levit.* 9. & 12. *Deut.*

Itaque horum regionem inſederunt, & occuparunt Hebræi, ejuſque poſſeſſionem Patriarchis Deus promiſerat, ac terminos ille ipſe deſignavit *Exod. cap.* 23. juxta quatuor mundi plagas: nam verſus meridiem ponit terminum mare rubrum: ad occidentem, mare Palæſtinorum, ſive mediterraneum: verſus orientem, deſerta Arabiæ; ad ſeptentrionem, Euphrateum fluvium. G

Divisio, Et Sortitio.

Enumerat Geneſis undecim filios ex Chanaan genitos, qui totidem Gentibus nomen dederunt: Sidonem, Hæteum, Jebuæum, Amorrhæum, Gergeſæum, Hevæum, Aracæum, Sinæum, Aradium, Samaræum, Amathæum, *c.* 10. 16. 17.

Quomodo autem illæ gentes deletæ ſint, habetur in *lib. Deut.* & actis Joſue. Certum namque eſt, juſſiſſe Deum ſeptem ex illis XI. deleri *Deut. c.* 7. & ſuum ad id auxilium promiſiſſe. *Joſue c.* 3.

Suntque Chananæi, Hethæi, Jubuſæi, Hevæi, Phereſæi (qui alia voce Samaritani) Gergeſæi, Amorrhæi. Horum igitur Provinciæ ab Hebræis fuerunt occupatæ, reliquias verò eorundem ſubjugavit Salomon in tributarios. 2. *Paral.* 8.

De ſortitione autem iſta notabile eſt, quòd ita fuerit temperata divino conſilio, ut quales Regiones multis ante ſæculis fuerat vaticinatus Jacob pleriſque tribubus obventuras, verè etiam obvenerint ſub Joſue, juxta ea quoqs que Moyſes moriens prædixerat. *Deut.* 33. H

Quis autem in ſortiendo modus fuerit ſervatus, dubitatur apud Doctores, exiſtimant plerique nomina Regionum in urnam injecta fuiſſe, & ſingulatim cuique tribui educta, & conceſſa pro cujuſque prærogativa. Videatur de tota hac ſortium ratione *Abulenſis in c.*18. *Joſue q.*5.

Caracter.

☞ *Conſule Tit. de Grammatica, §. Exercitatio Grammatices quoad Scriptionem.*

Chariſtia.

ERat ſacrificium Gentilium, ſive convivium ſacrum, in Viriplage Deæ ſacello celebratum, ad diſſidentes conjuges inter ſe reconciliandos. Scribit de illo *Valer. Max. lib. 2. c.* 1. *Ovidius* verò *l.2. Faſtor. ita canit.*

Proxima cognati dixere Chariſtia *cari.*

* Charitas

* Charitas.

A ☞ *Vide* Dilectio.

Definitio, & Etymologia.

CHaritatis nomen à Græco χάρις, quod gratiam sonat, vel à Latina voce charus, quod amicum significat, vel à carus quod nomen vili opponimus, & rebus pretiosis competit, qualis inter virtutes est Charitas, deducitur. Est autem Charitas specialis virtus, immò reliquarum virtutum forma, & velut vita, qua Deus propter seipsum, proximus autem per quem omnem hominem accipimus propter Deum diligitur.

Quæri autem nonnunquam solet, quid discriminis statuendum inter hæc nomina, Charitas, Amor, Dilectio, & respondet. *Joan. Malder. in suo tract. de fide, spe, & charit. q. 23. art. 1.* illa pro iisdem accipi in sacra Scriptura, & probat ex *August. 14. de Civ. cap. 7.* allegante locum *Joan. 21.* Ubi Christus promiscuè interrogavit Petrum, an eum diligeret, & amaret? adduque Evangelista, Petrum contristatum, quòd tertio rogasset Dominus, amas me? cùm tantum semel illo verbo esset usus. Atque idem esto judicium de verbis ἀγάπη, & φιλία nam pro-
B miscuè utitur Evangelista eodem loco, ἀγαπᾶν & φιλεῖν. Fuerunt enim tempore S. Augustini, qui dilectionem tantum in bonam partem, amorem etiam in malam sumi volebant.

Est ergo charitas vera hominis amicitia erga Deum, ut cui omnes conditiones amicitiæ, quas *lib. 8. Ethicor.* Philosophus tradit, conveniunt, Uti latè, & eruditè confirmat Malderus supra *sect. 2.* estque hæc amicitia vera, & honesta, non quidem æqualitatis, sed excellentiæ, & proportionis. Ita *S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 1.*

Subjectum, Et Objectum.

S. Thomas supra q 24. art. 1. dicit charitatem esse in appetitu sensitivo, sed rationali, videlicet voluntate, quia bonum ipsius est bonum divinum, quòd solo intellectu apprehenditur. Neque tamen naturaliter nobis inest, aut viribus nostris acquiritur, sed per infusionem S. Spiritus, qui amor est Patris, & Filii, cujus participatio in nobis est ipsa charitas causata, quod tam de habituali quàm actuali charitate intelligit, *Conc. Trid. sess. 6. c. 7.*

C Objectum formale charitatis, quia est amor, statuit S. Thomas bonum divinum, id est, ipsam bonitatem suam, quam charitate ipsi volumus, quatenus nobis per gratiam communicatur. Hoc enim postulat amor amicitiæ supernaturalis.

Objectum materiale est ipse Deus, quem per se, & propter se diligimus: & propter illum omnia reliqua, videlicet proximum. Ut cujus beatitudinem Deo volumus, tanquam quę in illius gloriam cedat: idque eadem omnino charitate. Indicat id Joannes 1. *Epist. c. 1.* Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Idque etiam uno, & eodem actu, quomodo eadem visione videtur corpus, & color.

Ordo.

Uti in omni affectu, ita in charitate ordo reperitur secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus. Unde Sponsa *Cant. 2.* Ordinavit in me charitatem. Juxta quem ordinem, maximum, & primum mandatum appellatur de diligendo Deum. Unde & Christus, Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. *Matth.*
D *c. 10* quod tam de objectiva, quàm appretiativa dilectione accipitur. Deo enim potius bonum volumus, cumque offendere deterius æstimamus, quam proximum, idque propter summam illius eminentiam, & bonitatem.

Item homo tenetur seipsum magis diligere modo jam dicto, quam proximum, quoad bona spiritualia, quæ utrisque velle tenetur ex charitate. Ita *S. Thom. q 26. art. 4.* & intellige de bonis, quæ ad animæ salutem sunt necessaria.

Etiam de temporalibus bonis, homo consideratus ut privata persona, sibi magis prospicere debet quàm alteri. Unde *August. l. de mendacio, c. 6.* Si quis inquit, pro alterius vita temporali suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit. Et *S. Thomas q. 64. art. 7.* Plus ait, tenetur homo providere vitæ suæ, quàm alienæ. Quod intellige, dummodo omnia sint paria, nec intercedat quidquam quod sit altioris ordinis, sic vitam temporalem pro spirituali proximi ponere tenemur in casu necessitatis. Et nos debemus pro fratribus animas ponere, inquit *S. Joan. 1. epist. c. 3.* & Augustinus supra idem sentit. E

Inter proximos quoque his potissimùm consulendum censet idem Augustinus, qui constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Ita præferendi parentes filiis, consanguinei exteris, amici inimicis. Vide particularia circa hæc apud *Malderum suprà Valentiam S. Thomam, & alios.*

Actus, Et Quidem Duplices.

Interni, Et Externi.

Internum actum charitatis ponit S. Thomas dilectionem, cujus internos effectus dicit gaudium, pacem, misericordiam. Ille autem actus includit prosecutionem boni, & odium, seu fugam mali, quatenus est offensa Dei.

Actus externos ponit tres, Benificentiam, Eleemosynam, & correctionem fraternam. *q. 31. 32. & 33.*

Præcepta. Eorumque Typi.

Generalia charitatis præcepta duo sunt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. id est, supra omnes creaturas, sic ut nullius amore, aut timore eum velis offendere. Et proximum sicut teipsum, amoris scilicet similitudine, non æqualitate. Et habetur prius quidem *Deut. 6.* Ubi etiam jubentur Judæi illud scribere in postibus domorum suarum: posterius verò *Levit. 19.* Et Christus in Evangelio utrumque F conjunxit. *Matth. 22. v. 17.* addens, in his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.

De his autem præceptis in particulari observatis, ☞ *Vide locum de Dilectione. Tit. Dilectio Dei, & Proximi.*

Hæc autem duo præcepta sunt velut duo Cherubin se mutuo respicientia, *Exod. 25.* juxta Origenem. Sunt duæ alæ aquilæ magnæ, quæ sunt datæ mulieri amictæ sole, id est, Ecclesiæ, *Apoc. 12.* ut ait Glossa: Sunt duæ bases aureæ super quas sunt sponsi crura fundata, *Cant. 5.* ut exponit Nyssenus, & Maximus ibidem. Sunt vestes duplices quibus induuntur domestici Ecclesiæ. *Cant. 5.* secundùm Glossam ordinariam, fiunt minima mandata *Matth. 5.* quia ad parvum numerum redacta, eaque de causa dicuntur consummatio abbreviata inundans justitiam. *Isaiæ 10. v. 22.*

Ejus Præstantia.

Inter virtutes morales excellentissima est Charitas, quia est virtus Theologica: aliis quoque Theologicis præstat, quia Deum in se attingit, sicut prudentia rationem. Fides autem, & Spes attingunt Deum, ut ab eo nobis provenit adeptio boni, aut cognitio veri. Hinc Apost. 1. *ad Cor. 13.* comparans G charitatem cum fide, & spe, dicit, major, id est, maxima horum est charitas. Et ad *Coloss. 3.* appellatur vinculum perfectionis, sive integritatis: hoc enim significat Græcum τελειότητος, est namque connexio omnium virtutum, & earum rerum, in quibus Christiana integritas, perfectioque consistit. Quia omnia in charitate tanquam centro colligantur, estque illorum nervus, eaque pereunte omnia dissolvuntur. S. August. eam appellat tunicam inconsutilem Christi, quæ ad unum, scilicet Deum pervenit, & omnes in unum colligit. *Tract. 105. in Jo. vide S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 1. in corp.* nulla igitur virtus sine charitate consistere diù potest; quòd intellige de vera, & perfecta virtute, quæ hominem ordinat ad ultimum suum finem. Imperfecta enim absque hac reperitur in peccatore, immò & vera, si philosophicè, & non theologicè loquamur: nam sic: vera virtus debet habentem se simpliciter ordinare ad finem supernaturalem, ad quem sine charitate nemo aptus esse potest.

Quo fit, ut à S. Thoma, & Patribus charitas dicatur forma virtutum reliquarum, ut quarum actus ab illa habeant, quòd boni sint, id est, conducibiles ad beatitudinem, tribuit enim iis dignitatem, vim, & efficaciam merendi, unde H
D & semen est meritorum, quæ ab ea vel eliciuntur, vel imperantur: item semen virtutum, quæ ex illa pullulant: Semen denique gloriæ tanquam ultimi illius fructus, cujus quantitas charitatis quantitati respondet. Facit ergo charitas hominem Dei amicum, & filium, sic ut vicissim ab eo diligatur. *Jo. 24.* operitque multitudinem peccatorum 1. *Petri c. 4.* hoc est, quod tegat tam peccata propria, quàm ea, quæ alii in nos peccant, eorumque pœnas; facit enim charitas, ut etiam quę alii commiserunt in nos fileamus, extenuemus, cõdonemus. Immò & inimicorum opera in nos toleremus, eadem benevolentia nostra compensando. Teneræ militiæ delicati conflictus est, ait *S. Pet. Chrysol.* amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam *serm. 54.* Denique est causa, cur alia præcepta impleamus, est enim velut connubium voluntatis nostræ cum divina, & conformatio quædam illorum voluntatum in unam, qua sibi mutuo in omnibus conformantur Deus, & homo. Denique Deus ipse à *S. Joanne 1. Epist. c. 4.* nuncupatur Charitas:

A ritas: Deus inquit, charitas est, nempe eo modo, quo bonitas: Sapientia, &c. videlicet per essentiam. Ita ut quod habet *S. Bernard. Epist. 11. circa medium*, Charitas substantia, id est Deus, det charitatem accidentalem. Est ergo Deus charitas, qua nos ipse diligit, quæ tamen efficit nostram creatam, qua ipsum diligimus, sicut hæc dici possit ignis accensus, illa verò ignis accendens.

Fructus, Et Bona Charitatis.

Apostolus 1. *Cor. 13.* enumerat XVI. bona & fructus charitatis, quos opponit tanquam remedia morbis Corinthiorum, inquit, *Chrysost. hom. 34.* in eam Epistolam. Charitas inquit, patiens est, contentiosos notans: benigna, factiosos, & clandestinos: non invidet, adversùs eos, qui ægrè superiores ferunt: non est procax; perstringit dissolutos: non inflatur, superbos: non est fastidiosa, contra eos, qui se demittere, & proximo inservire nolunt: non quærit, quæ sua sunt, in eos, qui cæteros se despiciunt: non irritatur, non cogitat malum, in contumeliosos: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, in invidos. Rursum, omnia suffert, ad solatium circumventis, & oppressis: omnia sperat, ad solatium
B rejectis, & desperatis: omnia sustinet, & nunquam excidit, in eos, qui levi causa seditiones fovent. Eadem charitatis officia eleganter expendit *S. Greg. l. 10. Moral. c. 8.*

Vitia Opposita.

Charitati opponuntur Odium, Acedia, Invidia, Discordia, Schisma, Bellum, Rixæ, Contentiones, Seditio, Scandalum. Ita *S. Thom. q. 34. & seq.* & probat ex eo, quòd variis charitatis actibus supra indicatis contraveniant, eamque imminuant, & pessundent.

☞ *De his vitiis consulatur cujusque locus proprius.*

* Charta.

☞ *Vide Littera. Papyrus. Scriptio.*

Quid Sit Ejusque Etymologia Et Usus.

CHartam, ætas nostra; sed prisca illa Lucilii Aurunceani, chartum masculino genere appellavit, Auctore Nonio.
C De causa nominis contestata lis inter multos est; sed nulli etiamnum adjudicata. *Guilandin. l. De charta, & Panciro-*
lus l. 11. tit. 14. chartam ita dictam volunt à Charta Tyri urbe, prope quam primum inventa fit papyri arbor, è qua mox facta charta.

Isidorus l. 6. c. 10. chartam dictam esse putat, quòd carptim papyri tegmen decerptum glutinetur. Contra *Scaliger* docet decerptas illas papyri tunicas, semper esse papyros vocatas, donec ad scribendas epistolas earum cœpit esse usus; tum verò non jam ampliùs papyros, sed chartas esse dictas à verbo χάσσειν, quòd omnibus epistolis suis pro fronte inscribere solebant Græci; sicut Latini verbum suo, vel fuis, de quo *Martial. l. 14. Epigr. 11.*

Omnes ista solet Charta vocare suos.

Epistolares ergo bibli, è χάσσειν, chartæ dicti, quare non abs re *Martialis* chartam epistolarem salutatricem vocat, *lib. 9. epist. 101.*

Charta salutatrix si modo vera refert.

Atque ab hoc tempore chartæ appellatæ sunt chartæ novæ;
D ut à pugillaribus è gypso factis, seu palimpsesto, ut Catullus, Cicero & Plutarchus nominant, jam pridem inventis (qui vocabantur chartæ deletitiæ) distinguerentur. Novæ autem, & deletitiæ chartæ mentio fit apud *Ulpian. l. 1. Digest. De bonor. possess. secund. tab.*

Finis autem, & usus chartæ obvius est, nempe Scriptio, aut rei alicujus involutio. Ac ille primarius; maximè utilis Reipublicæ, conducens posteritati, & ingeniis exercendis, cùm propter obviam papyri commoditatem plura mentis opera publicam lucem adspiciant quàm olim, accedente hoc ævo Typographia.

Inventio.

De chartæ prima inventione ita *Plin.* scribit *lib. 13. cap. 11.* Chartam Alexandri Magni victoria repertam, auctor est Marcus Varro, condita in Ægypto Alexandria, anteà non fuisse chartarum usum. Sed *Guilandinus libello de papyro* demonstrat longè ante hæc tempora chartam ex papyro esse factam; quamquam de certo aliquo tempore certum nihil statuat; ne-
L. B. Thoat. vit. Human. Tom. II.

que sanè facilè quisquam alius id possit, cùm de nulla re ferè scriptum sit minùs, atque de origine scriptionis. E

Aspasius Biblus juxta Volaterranum primus papyrium invenisse perhibetur *l. 12. cap. 4. Anthropologiæ* Suidas verò eam biblo, quæ arundinis est species, factam scribit, & ab hac nomen suum Aspasium accepisse.

Ceterùm res nota est Papyrum esse fruticem Ægypti propè Nili fluenta, obliqua radice triangularem, longam cubitis decem, in gracilitatem ascendentem. Ex hujus foliis tenui phillyra acu deductis conficitur charta ad scribendum, quæ ob id papyrus appellatur, quod nomen nostræ chartæ retinent, quamvis ex lincorum fragmentis conficiatur. Observat id *Cornel. à Lapide in Exod. cap. 2.* & peti nonnulla poterunt ☞ *Ex loco de Papyro.*

Nomina Varia.

Nomina porrò omnia quadruplici ex capite orta esse, videre mihi videor. A locis, auctoribus, materia, aut forma, denique ab officiis.

A locis nomen invenerunt, auctore *Plin. l. 13. c. 12.* Suitica, Tæneotica, seu Taneotica, seu Tanitica, Libyana ad honorem provinciæ Libyæ, auctore *Isidor. lib. 6. cap. 10.* Chartæ Thebaicæ ve, Caricæve, apud *Statium l. 4. Sylvar.* Ægyptia, F apud *Apuleium*, Memphitica, apud *Turnebum l. 5. c. 2.* quod displicet tamen Henrico Salmuth in Not. Panciroli. Amphitheatrica apud *Plin.* ab Alexandrino quodam Amphitheatro, ut suspicatur Scaliger; non Athribitica, ut contendit Guilandinus Mellonis pagina, id est, Nili, apud Ausonium; sicut Niliacæ papyri apud Martialem.

Ab auctoribus. Augustæa (quæ Catullo est Regia) Livia, Fanniana, apud *Plinium l. 13. c. 12.* Corneliana apud *Isidorum lib. 6. c. 10.*

A forma Μακρόκολλα, à κόλλα scheda, quasi longa scheda; meliùs, inquit Scaliger, quàm à κόλλα, glutine, seu tergo bovino. Unde *Martiali* talis inscriptio *lib. 14. Apophoreto 10.* Chartæ majores, quales longissimæ sunt chartæ Sinenses, subinde quatuor ulnarum, ut ipsemet vidi.

A materia. Charta plumbea, Suetonio; deletitia, & nova, Ulpiano.

Ab officio, Salutatrix, Martialis; Emporetica, Plinio: item Hieratica, quòd folis sacris litteris serviret; sicut barbarè vocamus chartam Postarum, quam rectius cursoriam diceremus, quod ea serviat literis per cursorem mittendis. His adjungi poteſt dentata charta, ut Cicero ad Qu. Fratrem scribit *l. 2. epist. 16.* ab officio reprehendendi. G

☞ *Huc multa referri possunt ex loco de Scriptione.*

Chartæ Lusoriæ.

☞ *Vide locum Ludorum, & Ludicrorum.*

Scriptores.

Scripsit de chartæ usu, & inventione *Polydor. Virg. lib. 2. c. 8. de invent. P. Gregor. Tolosan. l. 16. de Republ. c. 3. Pineda in Job. c. 19. vers. 24. Melchior. Guilandinus l. de Papyro, Guido Pancirol. in novis repertis l. 2. tit. 13. Raderus in Martial. l. 14. Epigram. 3. & novissime Herman. Hugo Societ. Jesu, cujus laboribus pro parte in superioribus usi sumus.*

* Cherubim.

☞ *Vide Angelus.*

Unde Dicti.

CHerubim vox est Hebraica, & significat multitudinem roboris, gloriæ, & scientiæ. Ut docet *Dionysius cap. 7.* H *cæleſt. hierarch.* & ex illo *S. Hieronymus*, à radice *Nachar*, id est, scivit, vel cognovit: & *rab*, id est, multum. Unde Abbas Bessarion dicebat moriens: Debet Monachus esse totus oculus, sicut Cherubim, & Seraphim. Vel potius à voce Rabbi, quod sapientem significat, & magistratum. Unde Rabbini.

Cherubim igitur plenitudinem significant sapientiæ. Fuerunt Hebræi olim, qui volebant Cherubim idem esse, quòd pueri: & dicunt formari vocem à Chaldæo *Rub.* quod puerum interpretatur. *Josephus* autem fuisse scribit, cujus figuram Deus Moysi in monte ostendit. Prior sententia verior est.

Figura.

Describuntur ab *Ezechiele* Cherubim habuisse IV. facies *c. 1.* Bovis, sive Vituli, Hominis, Leonis, & Aquilæ, quorum animalium species mutatis litteris, ipso nomine in semet

exprimere, annotavit *Cornelius à Lapide, comment. in exodum*
A *capite* 25.

Josephus vero ait, esse Cherubim animalia volatilem habentia figuram, quæ à nullo hominum, præterquam à Moyse, fuerint visa. *l.3.c.8.antiq.*

Cæterum moralem, anagogicam, tropologicam hujus visionis Ezechieli factæ, & quatur animalium similitudinem, ac interpretationem, vide *apud Hector. Pintum in Ezechiel. cap.1.* & 10.

Pinguntur Cherubim nonnunquam tanquam pueri imberbes, & alati, ut Angelorum significetur æternitas, & juventus, & celeritas in exequendis mandatis Dei.

OFFICIA.

Cherubim dicuntur Currus Dei, & de illo dicit David, qui sedes super Cherubim. Quia Cherubim per metathesim alludit ad radicem Rocheb, hoc est equitans. Sunt enim Angeli velut currus gloriæ Dei, quo moderatur, & sustinet hunc mundum: super quos Deus dicitur sedere, quia illos sapientia, & potentia transcendit. Hinc Dei jussu olim duo Cherubim alis
B suis sustentabant propitiatorium super Arcam, ut quasi videretur sedes Dei, cujus scabellum erat Arca: & velabant ipsum propitiatorium, ita ut speciem currus cujusdam exhiberent. *Vide Exodi c.25.* & interpretes in illum locum.

* Chiliastæ.

SUnt hæretici, qui alio nomine Millenari vocantur, & cum Apollinari à Papa Damaso damnantur. Error eorum versabatur circa generalem mille annorum resurrectionem, & regnum Christi temporale. Adducti erant testimonio Christi dicentis. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, dum bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei. *Matth.c.26.*

Videat Lector Alphonsum à Castro *de hæres. verba Beatitudo, hæres.2.*

Chiragra.

PODAGRA ARTICULORUM

DOLOR.

C ☞ *Quære nonnulla in Tit. de Affectibus Partium corporis. Ubi particulatim de hoc Morbo, ejusque curatione per varia exempla tractatur. Vide etiam Tit. Podagra.*

* Chiromantia. Chiromantæ.

* DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

CHiromantia est conjectura ex manuum inspectione. Eaque dividitur in Physicam, quæ Physiognomiæ pars est, & licitè per lineas, & partes manus considerat ipsam corporis temperiem, & ex ea nonnunquam refurrectionem, & regnum Christi temporale. Adducti erant testimonio Christi dicentis. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, dum bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei. *Matth.c.26.*

Et Astrologicam, quæ omnino vana est, & docet ab astris infallibiliter regi linearum manus significationem. Vanitatem hujus conjecturæ describit *Franc. Valesius c.31. Sal. Philosoph.*

Fuerunt tamen, qui eam laudarunt, Helenus Syracus. *lib.* quem nominat χειροσκοπικὴν διόπτραν, manus inspectorium augurium.

D Pollux, & Suidas, Joannes de Indagine, & alii citati à *Mart. Delrio l.4.c.2.p.5. de Magicis disquis.*

EXEMPLA EVENTUS SUBSECUTI.

BARTHOLOMÆUS Cocles, qui plures libros edidit de hoc Argumento, Lucæ Gaurico Astrologo auctor erat fugæ, ut, qui instabat, violentum cruciatum evaderet: Gauricus contemnens monita, eo quòd Joannem Bentivolum Bononiensi tyrannide deiiciendum in Ephemeridibus prædixisset: jussu violenti Principis ex Trochlea, suspenso fune quinquies quassatus, chiromantæ contempti pœnas dedit.

ALEXANDRO Medices Græcus quidam ex manus inspectione mortem prædixit, signaque edidit percussoris, quæ in unum Laurentium, qui eum percussit, quadrabant.

Idem Bartholomæus Cocles Copono cuidam prædixerat, quòd brevi manus cruentaret scelesto homicidio: & Hermeti tyranni filio futurum, ut exul cæderetur. Hermes igitur Coponi imperat, ut Coclitem illum clam trucidaret. Quod non ignorans Cocles, galea caput, & ense latus muniebat. Verum Hermes dum seræ ostii calculo injectæ præpeditæ clavem insereret, ex inopinato cęditur à Copono bajuli habitu personato: non aliam causam adferente, quàm quod Cocles seum E brevi homicidam prædixisset. Hæc *P. Jovius in Elogiis.* De quibus tamen jure dixerim, quod ait *S. August. lib.2. de Genes. ad litteram in fine*, prædictiones similes pacti cum Dæmone initi non obscura documenta continere.

☞ *Require Physiologia. In loco de Divinatione, & alibi.*

* Chirothecæ.

Quas & manicas dicimus.

USUS.

CHirothecarum usum cum ipso mundo natum colligitur ex *c.27. Gen.* Ubi Rebecca inducitur, filio Jacob ut benedictionem primogeniti Esau facilius ab Isaac impetraret; pelles hœdinas manibus circumdedisse; ut videretur Esau, qui hirsutus erat, in modum chirothecarum, (Debebat enim ma- F nibus inferre cibos ad patrem, eique ministrare) idque tanta solertia fecerat, ut pater manuum contactu falleretur, existimans ipsum Jacob esse filium majorem Esau.

SIGNUM PACIS.

Imperatores, & Reges Germaniæ olim chirothecas suas ad stabiliendam pacem, & actiones, quibus interesse non poterant, personaliter mittere solebant, sicut jus Saxonicum testatur, & refertur à *Phil. Camer. horar. subcis. p.1. cap.35. in medio.*

BELLI.

Ferunt nonnunquam à Ducibus belli mitti chirothecas in symbolum conflictus, aut cupitæ pugnæ. Et ita fecisse perhibent Carolum V. Imperat. Solimanno Turcarum Imperatori, dum copioso exercitu in Hungariam venisset: qui pugnam detrectans, eidem respondisse fertur:

Non te, Carole, sed fortunam tuam metuo.

Fuit etiam mos Regum, ut si urbem munitam obsiderent, chirothecam in eam proiicerent: significantes se non discessu- G ros, nisi eam proiicerent. *Rabbi Himmanuele in c.4. Ruth.*

CHIROTHECA VENENUM MITTERE.

☞ *Quære Venenum.*

Chirurgi.

☞ *Consulatur Tit. de Medicina, sub quo Chirurgia, & pleraque eò etiam spectantia comprehenduntur.*

Choraulæ.

☞ *Vide sub Tit. de Musica. S. Tibicines, Choraulæ.*

* Choreæ.

SALTATIO. TRIPUDIA.

* DEFINITIO, & ETYMOLOGIA. H

CHoreas à Græco χορὸς, teste Suida, Latini deduxerunt, ἀπὸ τοῦ χαρᾶς, juxta Platonem, à gaudio, quòd sit quasi gaudii quædam testificatio. Itaque choreæ dicuntur plausus, qui pedibus fiunt inter saltandum, idque ad certos numeros. Unde *Virgil. 6. Æneid.*

Pars pedibus plaudunt, choreas, & carmina dicunt.

Sunt ergo choreæ ipse saltandi actus, sive motus numeris accommodatus, qui etiam Tripudium quasi terripavium, quòd terra movendo paveatur, hoc est teratur, nuncupatur. ☞ *Vide Locum de Saltatione*, ubi & de vocis etymo, & aliis huc facientibus agitur.

QUIS CHOREAS INVENERIT?

Lucianus chorearum inventionem attribuit diverso motui stellarum: alii à sacrificiis veterum ortas volunt, in quibus frequentissimus erat usus saltationum. A natura plerique suggestas tradunt, quæ quovis rerum statu, motus varios, & gestus, affectus

affectus indices edit. Græci Museum, & Orpheum Musicos,
A Chordarum inventores contendunt. Erato alii primam earum inventricem statuunt. Hieronem Siciliæ Tyrannum aliqui. Sed molles gestus ad psallendi normam, Jones invenerunt primum. *Euseb. in Chron.* scribit anno mundi 3920. tempore Gedeonis Choreas à Phidamone in Delpho institutas. Apud Latinos Romulus bellicrepam saltationem introduxit, quamvis Livius ab Hetruscis dimanasse afferat ad Romanos.

USUS ANTIQUUS.

EX S. SCRIPTURA.

Multitudinem canentium, & saltantium Chorum dicimus, à χαρᾷ, id est, lætitia, ait *Plato l.2. de leg.* Atque olim apud Judæos solenne erat, in decantandis Deo laudibus, Choros ducere puellarum concinentium, & saltantium. Quomodo legimus in Exodo, omnes mulieres egressas post Mariam sororem Moysis, postquam jam mare rubrum transivissent; cum tympanis, & choris *cap.15.* id est, cum piis ad numeros tympani tripudiis.

Sic David etiam scribit: Prævenerunt Principes conjun- B cti psallentibus in medio Juvencularum tympanistarum. *Psal.67.*

Apud Esdram legimus, inter illos, qui è captivitate Babylonica revertebantur, fuisse Cantores & cantatrices ducentas, ad animos redeuntium exhilarandos. *Capite 1. vers. 65.*

Etiam Salomon fatetur de seipso; Feci mihi Cantores, & Cantatrices, sub quibus intelliguntur etiam saltatrices, cùm olim Chorum non ducerent absque tripudiis. *Eccles. 1.*

DAVID reducens arcam Domini è domo Obededom in civitatem suam, saltabat totis viribus ante arcam, deposita purpura, acceptoque Ephod lineo. Quem morem in Hispania observant, ut dum solenniter circumgestatur S. Eucharistiæ Sacramentum, præcedant Chori psallentium, & saltantium, exemplo Davidis. *2. Reg. c.6.*

Filiæ Silo ducebant Choros in solennitate Domini. *Judic. cap.21.*

C EXEMPLA PROFANA.

Lacedæmonii ex instituto Lycurgi trichoria utebantur saltatione, quæ tribus constabat Choris, senum, puerorum, juvenum. Senum prima cantio erat, Nos olim fuimus strenui Juvenculi. Puerorum altera, Præstantiores olim nos futuri sumus. Tertia Juvenum: At nos sumus, vel experire, si velis. *Plut. in comm. de laude suiipsius.*

Memoria proditum, Theseum in Delum insulam appulsum ex Creta, saltationem cum pueris iniisse, quæ Labyrinthi præ se ferret errores, orbes orbibus implicantem, apud aram κερατώνα, ex sinistris modo compactam cornibus. *Cælius l.5. cap.3.*

ARISTONICUM Carystrium Alexandri sphæristen ob artis excellentiam civitate donarunt Athenienses, & statuam erexerunt. *Ibid. l.4.*

In Ludis à Nerone Institutis Ælia Catula LXXX. annos nata saltavit. *Xiphilinus.*

PYRRHUS Achillis filius ob saltationem celeberrimus, sic ut illius artificium Pyrrichium fuerit appellatum. *Cælius l. 5. cap.3.*

D EPAMINONDAS Dux Thebanus bellicosissimus probè saltasse, & cantasse sæpè dicitur: existimans nimirum, saltatione homines agiliores fieri: ut si quando seriò pugnandum esset, eo promptiores forent. *Alex. l.2. c.25.*

DIONYSIUS tyrannus, cùm Syracusanorum in convivio jussisset, ut singuli in veste purpurea saltarent: Plato id facere recusavit, his trimetris è fabula quapiam usus:

Οὐκ ἀσθενοῦμεν δίκλινο ἐνδυόμενα πολλοὶ
Ἀῤῥένων πορφυρόν, ἐγὼ γένος ἐξ ἄῤῥενος.
Mulicbri ego haud quaquam induiqueam stola,
Vir natus ipse, & ex virili germine.

Cæterùm Aristippus philosophus indutus purpura saltatus hos versus recitavit ex tempore:

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Ὁ νοῦς ἐν ἀῤῥωδιάσαντας. *Id est,*
Nam in Liberi patris sacris
Mens, quæ pudica est, nesciet corrumpier.
Laert. lib.2. cap.8.

ALPHONSUS Aragonum Rex in adventu Frederici III. cum Leonora Augusta palàm Choreas inivit, ac redarguentibus E ob id eum, respondit, Insanum arbitrari se illum, qui causa luxuriæ saltaret: at si honoris causa fieret, reprehensione carere. *Panormitan. l.2. de gest. ejusdem. Beyerlinck in Apophtegm. Christianis.*

Exemplum hujus rei habemus in magno illo Scipione, de quo *Seneca in libro de tranquill. animi:* Scipio inquit, triumphale illud, & militare corpus ad numeros movet, non molliter se instringens, ut nunc mos est, etiam in incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus: sed ut antiqui illi viri solebant, inter lusum, & festa tempora tripudiare, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur.

☞ *Chorearum varietatem. Vide in Loco de saltatione.*

CHOREARUM, DISTINCTIO secundùm sexum.

Choreæ, seu saltationes Judaicæ temporibus Moysis, & Davidis divisæ fuerunt pro ratione sexus. Aliæ enim fuerunt virorum, aliæ mulierum Choreæ. Nam David solus saltat coram arca Domini, non cum matronis, aut puellis. Moysis soror Maria inter mulieres, & cum mulieribus saltat ad tympana. Denique laudes celebrat, atque canticis sacris F Israelitarum virorum Moysis canticum personantium, respondet, cum singulari pietatis affectu. Mulieris Davidis pœana canunt, ut reportatam de immani hoste populi sancti victoriam honestis gestibus, & sacris vocibus, ac instrumentis celebrent. Quid istæ Choreæ cum profanarum gentium insaniis commune habent?

☞ *Alias distinctiones Vide Loco allegato.*

CHOREARUM ABUSUS.

Et quomodo reprehensus?

Honestiores Choreas exempla proposita admittunt. Sunt tamen aliæ infelici hoc ævo nimis frequentes, antiquis etiam usurpatæ, in quibus animorum volubilitas, corpora secum volvit, & plura dedecora adfert. In quibus ut bene Petrarcha, sæpe matrona diu servatum pudicitiæ decus perdidit, & infelix virguncula discit, quod melius ignorasset.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Filii Israel ducentes Choros Deum gravissimè offenderunt. Cùm enim Moyses moram faceret apud Deum in Monte Sina, G conflato vitulo, surrexit populus ludere, & choros agere: quos cum intuitus esset Moyses, reversus de monte, portansque duas tabulas testimonii in manu sua scriptas digito Dei, projecit de manu tabulas, & confregit ad radicem montis. *Exod. c.32.*

ISAIAS de feminis Jerosolymitanis vaticinatur. Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, &c. & pedibus suis composito gradu incedebant, decalvavit Dominus verticem filiarum Sion, *c.3.*

Sic apud Ezechielem dicitur. Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu, idcircò extendam manum meam super te, & interficiam te. *c.25.*

SARA apud Tobiam dicit, nunquam cum ludentibus miscui me. *c.1.*

Et Jeremias, Non sedi in Concilio ludentium. *c.15.*

Monet *Eccl. c.9.* Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.

HERODIAS Philippi fratris Herodis filia, saltando Herodem ad illicitum juramentum adegit, ut quodcunque postularet ei concederet: quæ cùm in disco caput Joan. Baptistæ protinus sibi dari peteret, missò ad carceres spicu- H latore, caput eidem amputatum fuit, & puellæ saltatrici datum, ac mensæ crudelissimi Regis tanquam saltationis præmium illatum. Hoc enim crudelitati ferculum debebatur ait *S. Ambr. lib.3. de Virgin.* quo infatiata epulis feritas vescereturr. Saltat puella, inquit *S. August.* & sævit mater: & inter delicias, & lascivias convivantium, temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur. *Ser.216. in novis. Marci, cap.6.*

EXEMPLA HISTORICA.

C. CALIGULA Imp. saltatores à Tiberio urbe pulsos non tantùm revocavit, sed etiam ipse plurimùm saltationibus oblectatus, aliquando Principes de nocte ad se vocatos, tanquam de rebus necessariis acturos, ad tripudia provocavit, & invitos saltare compulit. *Dion. in ejus vita.*

PHARSALIA meretrix Thessalica, cùm à Philomeno Phocensium Duce, spoliato fano Delphico, auream coronam Daphnes (Lampsacenorum donarium) accepisset, à Daphnes

vatibus ad insaniam redactis, in foribus discerpta est. *Athen.* A *lib.3.c.28.*

Lesbonax histriones, ac gesticulatores appellare solebat χηροτόνους, quod manibus saperent, non lingua. Erat enim saltationis genus, quo graves etiam historiæ citra vocem vel recitantis, vel tibicinis solo corporis gestu sic repræsentabantur, ut spectatores propè plus intelligerent ex saltatione, quam si quis recitasset. *Eras. l.8. Apoph.*

Demetrius Cynicus damnabat artem saltatoriam, velut inutilem gesticulationem ad tibiæ modos. Cui gesticulator quidam non imperitus, cupiens artis suæ vindicare gloriam, jussit, ut submotis tibicinibus spectaret ipsum saltantem. Assensus est Demetrius. Ille saltavit Homericam fabulam, adulterium Veneris, ac Martis, ambos Vulcani vinculis irretitos adamantinis, ac sole prodente, Diis cæteris exhibitos, Venerem erubescentem, varios Deorum astantium affectus, Mercurium optantem talia vincula, Martem damnatum, ut penderet mœchagria, ac præterea quicquid ad eam fabulam pertinet. Ibi Cynicus artem admiratus, dixit: Audio homo, quæ facis: non videò tantum, sed mihi manibus ipsis loqui videris. In hujus artis laudem scripsit Lucianus. Plato non pro- B bat; tamen apud Christianos saltatur inceptius. *Cæl. Rhodig. lib.5. Eras. l.8. Apoph.*

Hegesianax Apud Antiochum Regem, non amici solùm regis pyrrichiam saltabant in cœnis, sed ipse etiam rex. Cùm verò ad Hegesianactem historicum ordo choreæ pervenisset, assurgens dixit: Nunquid, ò Rex, me malè saltantem mavis aspicere, an potiùs mea quædam scripta bene pronuntiantem audire: Qui cùm dicere justus esset, ita regi placuit, ut inter ejus amicos, & familiares cooptaretur. *Athen. l.4.*

Clisthenes. Cùm nobilem filiam haberet, præconem edici jubebat in Olympiis, qui se dignum esse Clisthenis generum ad sexagesimum diem ad Sicyonem veniret. Quo cùm multi proci convenissent, ex omnibus videbatur magis idoneus Hippoclides Athenienfis, Tisandri filius: sed cùm supra mensam Laconicos, Atticosque modos ad tibias saltasset, cruribusque, ac brachiis modulatus esset, stomachatus Clisthenes: Tisandri (inquit) fili, desaltasti matrimonium. *Bruf. l.2.*

C Saltationum, Et Chorearum Fuga.

Fuere tamen ab hac immunes viri principes plerique, è quibus Albertus Cæsar. Redarguebat is quorundam principum mollitiem, quòd dum se Hannibale fortiores jactitent, Sardanapalum imitantes, in consessu nobilium matronarum saltitantes invenientur: dicebat enim; Laudo venationem, quę virilis exercitatio est: saltationem verò, quæ muliebris dumtaxat, nec laudo, nec amplector. *Ex Joan. Peregr. Petrosel. in Convival. q. Beyerl. in Apoph.*

Erat ut Imperii, ita & animi ejusdem Tiredicus Imp. cujus memorabilis illa vox: Malim febribus in lecto detineri, quàm minimam saltationi operam dare. *Æn. Sylv. l.1. Comm. in res Alphonsi. Car. Lang. in Polyanth. Beyerl. suprà.*

Quid verò expectatis ab Alphonso Rege Aragonum? ut saltationi, choreisque suffragetur? Haudquaquam. Quippe qui Galliæ populos eo nomine leves vocitabat: Quia, quo magis ætate provecti, eò magis saltationis se insania oblectarent. *Panorm. l.1. de reb. ejusdem, & Sylv. de dictis.*

Idem cùm mulierem impudentius vidisset saltitantem. Ex- D spectate inquit, mox Sibylla edet oraculum, sentiens unum insaniæ genus esse saltationem. *Panorm. l.2.*

Idem dixisse commemoratur ad illos, qui exemplo Scipionis saltitandi exercitium velare contendebant: Saltatorem ab insano nihil distare existimaverim: nisi quòd hic dum saltat; ille dum vivit, insanus est. *Panorm. l.1. & refert L. Beyerl. in Apopht.*

Percontanti euidam quid esset chorea: hanc descriptionem recepit.

Chorea est circulus, cujus centrum est diabolus, & circumferentia omnes Angeli ejus. Refert *Corn. à Lapid. in c.15. Exodi, vers.20.*

Concil. Laodicenum *sub ann. 346. can. 53.* ita sancit: Non oportet Christianos ad nuptias euntes, vel ballare, vel saltare: sed castè cœnare, vel prandere, sicut competit Christianis.

Cantus profanos exerces, inquit *ad Ebriosos* S. Basilius; oblitus Psalmorum, & Hymnorum quos didicisti. Moves pedes, & insanus saltas, choreas ducis imprudens, cùm genua ad Dei, & Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oportebat. *Hom. 14.*

Legatur *D. Basil.* suprà *Chrysost. hom.49. in Matth. Ambros. l.3. de Virgin. August. in Psal. 32.*

☞ *Choreæ nuptiales. Quære Nuptiæ.*

Saltatores, Et Saltatrices Puniti. Exempla Sacra.

Quando sedit Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, [qui ludus etiam erat saltationes, & tripudia;] Levitæ contra fratres se armantes, ex eis XXXIII. millia cæciderunt: & ita, ait historia sacra, manus suas consecrarunt Domino. Infinuans, quòd ob hanc causam Levitæ meruerint benedictionem, & sacerdotium: quomodo ob similem zelum Phinees meruit summum Sacerdotium. *Num. cap.25. Exod. cap. 32.*

In historia sacra Judicum narratur, quòd cùm filiæ Silontinæ exirent ad celebrandum festum solenne, & anniversarium, cum choris, & sistulis, adeòque choros ducerent, [quod ex levitate puellari eas fecisse ait Vermilius; ex religione, patriaque ceremonia Josephus; quamvis ex illo non F constet, quznam illa fuerit festivitas, cùm Abulensis videatur innuere Mercatum duntaxat fuisse, & voluptatis causa institutam solennitatem:] Benjamitæ 200. in vineis latitantes eas rapuerunt, & matrimonia inierunt: ad cum penè modum, quo Sabinæ Virgines à Romulo, & Romanis olim raptæ leguntur. *Judic. cap.21.*

Exempla Historica.

Furibunda adultera, incestaque adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, revera autem Philippi erat conjux, vita longiùs acta, cùm priùs filiam, & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit; futuri sæculi judicio, & supplicio reservata, meras ibi quam citissimè divinæ iræ fæces, intolerabilisque indignationis Domini caliginem haustura. Filiæ autem ejus (dignus enim est, qui memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluvius traiciendus: qui cùm glacie constrictus, coagmentatusque esset, pedes eum transibat: glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim G capite tenus, molliusque se movens saltat, non in terra, sed in undis; caput verò scelestum frigore, & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet: spectaculoque est omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat, spectantibus revocat. *Niceph. Calliss. lib.1. hist. Eccl. c.20.*

Imperante Henrico II. anno salutis humanæ millesimo duodecimo, cùm Rupertus presbyter Ecclesiæ sancti Magni martyris in Saxonia primam in nocte Nativitatis Domini Missam inchoasset, quidam Othertus laicus cum aliis viris quindecim, & fœminis tribus choream ducens in cœmeterio, secularibusque perstrepens cantilenis, celebrantem non mediocriter distractum fecit. Quibus cùm sacerdos mandaret per æditum, ut tacentes ab hujusmodi levitatibus in nocte tam sancta desisterent, illique præcipienti non obtemperarent, commotus ille stans ad altare sacrosanctum dixit: Faciat omnipotens Deus, ut per unum annum totum sic saltantes manere vos oporteat. Mirabile dictu, quia imprecantis vocem H sequutus est illico effectus, ita per totius anni spatium saltabant sine intermissione die ac nocte, nec edebant neque bibebant, absque somno manebant, non pluvia super eos cecidit, non frigus, non labor eos, nec lassitudo affecit. Nulli quantumlibet interroganti, quicquam loquebantur, vestimenta & calceamenta non trita. Et primò quidem usque ad genua, deinde usque ad femora, terræ sub pedibus conculcatæ videbantur immersi: filius quoque ipsius sacerdotis cùm sororem suam accepto brachio de medio saltantium vellet cum violentia educere, brachium ejus de corpore abstulit; illa autem quasi nihil passa nec doluit, nec emisit vocem, nec una quidem gutta sanguinis distillavit, sed choream continuavit cum reliquis inceptam. Anno tandem evoluto S. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis ad cœmeterium venit, & saltentes à maledicto absoluit, introductosque in Ecclesiam Domino reconciliavit. E quibus fœminæ mox obierunt, virorum quidam in brevi, qui etiam miraculis post mortem claruisse feruntur, quippe qui duram satis pœnitentiam egerint. Reliqui verò quibus vivere diutius licuit, tremore membrorum quid passi fuerint ostende-

ostenderent, *Jo. Trithem. in Chron. monasterii Harsaugien. Al-* A *bert. Crantz. l.4. Saxon. c.3. & Bredemb. l.1. Collat. cap.59. Gilbert. Genebr. l.4. Cor. sub an. Dom.1017.*

In villa quadam Brabantiæ Mulier procax, & vana erat, quæ in omni ferè festo choreas conjungere consueverat. Et factum est, ut juvenibus viris ad saltum juxta choream ludentibus, uni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu sambucalis evaderet, & dictam mulierem ducentem choream percussam in capite mox necaret. Hæc ut viderunt omnes confusi sunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro posuerunt. Presbytero autem cum clericis dicturo vigilias veniente; ecce taurus nigerrimus, immò dæmon pessimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore dejecit, cornibusque illud dissipans membratim consolidit, ita ut visceribus hinc inde dispersis, fœtor intolerabilis spargeretur. Fugientibus ergo cunctis, cadaver laceratum, usque in crastinum solum relinquitur, quousque scilicet, evaporato fœtore, proximi ejus intrare possent ad corpus, & sublatum extra cœmeterium sepelire. *Thom. Cantipr. l.2. Apum. c.49. p.13.*

In Gallia juxta Laudunum, sicut à presbytero villæ percepimus, Quidam chorizantes saltibus super pontem, disrupto subitò ponte fortissimo, in aquis validis totaliter sunt sub- B mersi: Vidi & ego adhuc puer, in choreis procacissimam saltatricem, quæ me præsente post choreas insolenter cum adultero luctabatur, & cùm cessasset, subitanea morte percussa miserabiliter expiravit. *Idem Thom. Cant. eod. l. & c. p. 14. & 15.*

Cùm aliquando dies natalitius B. Petri Apostoli haud procul Noviomensi oppido in vico quodam celebraretur, Beat. Eligius illic suo more constantissimè prædicabat verbum Dei; Dicebatque, profligandos & exterminandos esse cunctos dæmonum ludos, nefandas saltationes, atque choreas, vanas quoque, & impias superstitiones. Sed ea verba præcipui ejus loci habitatores indignissimè ferebant, quòd legitimas, ut ipsi putabant, consuetudines eorum abolere vellet. Tractarunt tunc quidam impii inter se, præsertim è familia Erichovaldi, qui erat palatio Præfectus, de nece S. Eligio afferenda, si pergeret ipsorum nugas insectari. Quod ubi ille comperit, martyrii incensus desiderio, uno dumtaxat Diacono, & duobus clericis sibi adjunctis, reliquis domi manere jussis ocyus eò profectus est, & per medias turbas transiens, in C edito quodam loco, ante basilicam majori instantia prædicabat, acriter objurgans illos, quòd spretis salutaribus monitis, usque adeò dæmonum ludibriis dediti essent. In iis verbis admodùm commoti, conviciis, & contumeliis eum proscindebant, mortem ei minantes, atque dicentes: Nunquam tu, Romane, licèt crebro eas taxes, nostras poteris abrogare consuetudines: sed eas nos mordicus retinebimus, nec ullus mortalium tollet nobis gratissimos ludos. Tum ille nihil se proficere cernens, rei indignitate permotus Dominum Jesum toto pectore oravit; ut permitteret homines improbos, qui tam audaèter contra ejus præcepta venirent, & dæmonibus petulanter obsequerentur, ab iis ipsis obtideri: ut vel sic cognoscerent, quorum operibus delectarentur, & homines fideles propensius laude, & prædicatione ipsius Christi nomen offerrent. Dixit, & confestim permulti, ii præsertim, qui manus ei injicere moliebantur, à dæmonibus arrepti, multis modis debacchari cœperunt. Ea re valde territi omnes, qui aderant ad hominis Dei se vestigia abiiciebant, veriti, ne similia paterentur: promittebantque se dictis ejus D omnibus audientes fore. Ad quos vir beatus. Ne timueritis, inquit, sed justum Dei judicium laudate: dignum est enim, ut qui ejus jussa contemnunt, ad tempus illis traditi, quos amant, sentiant magistros suos, quos colunt. Vos autem si Christi præceptis libenter parere vultis, nihil timeatis hos latruncolos. Multis autem rogantibus, ut pro eis Dominum deprecaretur: Sinite, inquit, reipsa experiri illos, quibus hactenus morem gesserint. Atque ita illo anno usque ad anniversarium ejus solennitatis diem manserunt illi obsessi à Demonibus. In ipsa autem solennitate jussit eos omnes exhiberi palàm, porrigensque illis aquam benedictam, illico curavit eos. Erant sanè homines amplius quinquaginta: cùmque eos probè instituisset, & graviter objurgasset, sanos à se dimisit. *Ex vita S. Eligii Episc. lib.2. cap.20. apud Surium.*

Sæpenumerò accidit, ut sponsi divinum matrimonii sacramentum, uti oportet, excolant, & ii, qui nuptias eorum celebrant, culparum nexibus sese illaqueant. Unde in eos divina proveniat ultio, cùm Dei gratia sponsis affulgeat. Agebantur Qualenses in Lubica nuptiæ, aderatque frequentissima virorum, mulierumque multitudo choreas ducens; ignis inco- E gnita origine domum invadit, perimuntur ab eo centum octoginta utriusque sexus, soli sponsi nudi è lecto evasere incolumes. Unde datus est proverbio locus, Nuptiæ scilicet Qualenses. *Albert. Crantz. l.12. Vandal. hist. c.12. Majolus Colloq. 4. S. rb. an. Dom.1440.*

Ludovicus Marchio Misnensis, ab Halberstadense ad Bambergensem, hinc ad Magdeburgensem Archiepiscopatum evectus, choreas, & carmina non omisit: plus in eo valebat patrius mos, quàm Christi religio. Ad dies carnisprivii vocavit mysterialium suorum puellas, & matronas in oppidum Calven, ipseque primus in prætorio spatioso choreis intereræt, fœminarum restim ducens. Die lunæ ad horam vesperam apparuit ignis in camera levissimus, qui vel à puero restingui potuisset. Nemo occurrebat, sed ad gradus festinabant universi tanta contentione, ut pondere victa domus, crepitu ingenti edito, subsideret, & per scalas lapideas Archiepiscopus, manu tenens dominam, cùm trecentis aliis rueret, & postera die moreretur. Ex reliquis tres soli periere. *Idem Crantz. lib.10. Metrop. cap.23. & l.20. Saxon. c.5.*

Sub Rodulpho I. cùm Trajecti juvenes, puellæ, viri, & F fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, & venerabile Christi sacramentum deferretur, nec illi prosternerentur, intenti vanitatibus, mox ponte decidente, ducenti propè mortales perierunt. *Crantz. ibid. l.8. Metrop. c.9.*

Legitur de Sorore S. Damiani, quòd ob delectationem nimiam, quàm habuit in cantilena ex cubiculo in choreis audita, octodecim diebus punita sit pœnis purgatorii, ut ipsa posteà cuidam sancto revelavit. *Florentin. Harthemius Carthus. l.2. Instit. Christ. cap.25. & Matthias Felicius in Decad. Præcept. 3. c.14.*

Becatelli, & Salæ sæva inter se certamine conflixerunt. Causam rixæ attulit Bartholomæus Becatellus à Hieronymo Sala, quem præire inducenda chorea voluit, in facie sauciatus. Concursu ab utrisque familiis illico facto, ac certamine inito, multi utrinque occisi, ac vulnerati sunt, majorque nimirum subsequuta cædes fuisset, nisi Albertus prætor cum cohorte sua intercurrens sævientem seditionis flammam compescuisset, ac Hieronymum comprehensum in carcerem conjecisset, ubi eum tandiu habuit, donec pace composita, in gratiam ipsæ inter se familiæ redierunt. *Carol. Sigon. l.20. de Re-* G *gno Italiæ ann.1269.*

Alexander III. Scotorum Rex, senex, cùm tertiò uxorem sibi desponderet Druydam Comitis filiam, & noctu festum celebraretur, vidit cum aulica familia mortuum in fine choreæ carnibus exutum saltantem. Quòd cùm Rex, cæterique animadverterent, attoniti primùm substitere: deinde omen averfati non solùm, tunc sed & in posterum dimiserunt nuptiales jocos. Nec inaniter hoc visum, nam eodem anno Rex insidens equo imporenti, excussus, & occisus est. Inde etiam clades, & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioqui regnum everterunt. Sub annum Dom. millesimum ducentesimum quinquagesimum hæc contigerunt. *Ex H. Boet. in Scoticis Annal. Renatus Choppin. de sacra Polit. lib.3. tit.7.*

Hoc unum prætereà in æternam commendationem Regiæ civitatis Genadensis terræ Prussiæ versus Aquilonem, his afferre licebit, quod circa annum Dom. M.D. XXX. contigit. Quidam impurissimi mercatores, Lutherana licentia præsumptuosi facti, numero septem, cum tot meretricibus nudato H sexu choream (quam Adæ Evæque vocabant) præmissa turpissima saltatione instituere conantes, in ipso exordio jussu Magistratus capti, & ad publicam statuam ignominiis plenam, vehementissimis chordis, ac asperrimis virgis cæsi, bonisque omnibus privati, extra dominia eorum, & portam civitatis ministerio tortorum educti, perpetuò sunt proscripti, domusque solo æquata, sub lege annexa, ne quis eam ullo unquam tempore inhabitaret. Fundus, & domus hæc cuidam mercatori famosissimo, Jacobo Campen nomine, attinebat, quam aliquoties vidi. *Olaus Magnus Episc. Ubsalensis, Svetiæ, & Gothiæ Primas l.15. hist. de Gentib. Septentr. c.11.*

Quòd histrionibus, & tibia canentibus applaudant dæmones, per generosum, & verè sanctum virum Gosvinum Dominum de Velpia, mihi retulit, Famulum quendam nocturnæ custodiæ deputatum, qui obscœnus nimis, & lubricus, congregationes puellarum, ac juvenum, tibia canens, & fistulis, faciebat.